QUOMODO TELEPHI FABULAM ET SCRIPTORES ET ARTIFICES VETERES TRACTAVERINT.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

IN AUDITORIO MAXIMO

DIE VII. M. DECEMBRIS A. MDCCCLXXXVI

HORA XI

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS PILLING

SAXO-ALTENBURGENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

W. KERSTEN, DR. PHIL.

F. PETZOLD, CAND. PHIL.

W. KAUSCHE, STUD. PHIL.

HALAE SAXONUM.

FORMIS DESCRIPSIT E. KARRAS.

MDCCCLXXXVI.

PATRIS MEMORIAE

SACRUM.

Aristoteles in arte poëtica quae a Telepho gesta sunt quaeqne illi acciderunt inter eas fabulas enumerat, ex quibus optimae tragoediae petitae sint. Verum nobis de magnis poëtarum Graecorum operibus ad Telephum pertinentibus nihil nisi rudera servata sunt, ut vix animis eorum splendorem proponere possimus. Sed permagno monumentorum numero, quae aetatem tulerunt, nobis ostenditur quam clara et vulgata fuerit haec fabula antiquis temporibus et quodammodo dolor lenitur, quo de poëtarum operibus perditis commoti sumus. Atque quae nota fuerant veterum artificum monumenta paucos abhinc annos miro fortunae dono aucta sunt. Etenim in Pergamenorum arce ab Humanno magnum anaglyphum effossum est, decus ingentis illius arae, in quo caelata sunt cum alia ad heroas Pergamenos pertinentia, tum quae Telepho acciderunt, cuius progeniem esse sese Pergameni gloriabantur. Quo eximio artis Pergamenae opere invento factum est, ut omnium animi in fabulam Telephi adverterentur. Atque mihi quidem visum est operae pretium accuratius exponere, quomodo et scriptores et artifices veteres Telephi fabulam tractaverint. Primum igitur quae de Telepho scriptores et Graeci et Romani inde ab Homero tradiderint explicabo, tum monumenta artificum enumerabo atque quae cum scriptorum operibus ratio eis intercedat ostendere conabor.

§ 1. Homerus.

In Iliade nulla invenitur Telephi commemoratio; sed iam antiquis temporibus duo illius carminis loci ad Graecorum expeditionem illam relati sunt, in qua errore adducti Teuthraniam appulerunt et cum Telepho Mysisque dimicaverunt aequo Marte. Primum fuerunt Eustathio teste (46, 35), qui ex Achillis verbis (*A* 59 sq.)

Ἀτρείδη, νῦν ἄμμε παλιμπλαγχθέντας ὀίω
ἂψ ἀπονοστήσειν, εἴ κεν θάνατόν γε φύγοιμεν

concluderent, poëtae notum fuisse bellum Teuthranteum, ex quo re infecta Graeci in patriam revertissent, cum *παλιμπλαγχθέντας* intellegerent 'iterum errantes'. 'Apionem et Herodorum' in commentariis ad Iliadem conscriptis hanc sententiam causis firmare studuisse Eustathius tradit. Etenim arbitrati totum carmen ab eodem poëta confectum esse apud Homerum inveniri putabant res, ex quibus efficeretur maius spatium quam decem annos praeteriisse, ex quo Graeci domo profecti essent. Imprimis Neoptolemum, Achillis filium et Deidamiae, patre mortuo Graecis auxilio venire afferebant. Quam opinionem falsam esse cum aliis causis (cf. *A* 71 sq.) tum ea efficitur, quod *πάλιν* nunquam 'rursus' sed 'retro' apud Homerum significat.[1]) Neque vero rectum vidisse puto Aristarchum, qui cum observaret ignotam esse Homero Telephi fabulam, ex nulla alia re nisi ex falsa vocis *πάλιν* interpretatione totam belli Teuthrantei fabulam fluxisse censuit.[2])

Praeterea huc spectat ultimi libri Iliadis locus (765), ubi Helena dicit vicesimum annum esse, ex quo tempore cum Paride coniugis domo relicta Troiam venisset. Hunc numerum cum compluribus secundi libri locis dissentire apparet, quibus decimum annum Graecos ante Troiam castra tenere traditur (*B* 134. 295. 328 sq.). Neque vero interpolatori ob eam causam locus tribuendus est cum Nitzschio.[3]) Nam posteriore aetate quam reliquas Iliadis partes ultimum librum confectum esse fere inter omnes constat.[4]) Sed quaeritur, quid, qui confecerit locum, respexerit. Atque veteres, ne discrepet hic locus cum aliis rebus, quae de belli tempore leguntur, Graecos decem

---

[1]) Lehrs, de Aristarchi stud. homer.[3] 91. cf. Strabo XIII, 615.

[2]) cf. schol. ad h. l. (Dind. I, 16. III, 16). Scholium intermarginale cod. A ita cum Hauptio legendum esse puto *πρὸς τὴν τῶν νεωτέρων ἱστορίαν, ὅτι ἐντεῦθεν τὴν κατὰ Μυσίαν στρατείαν* (*ἱστορίαν* cod.) *ἔπλασαν. ἱστορίαν* facile ex verbis antecedentihus iterari potuit.

[3]) G. W. Nitzsch, Beiträge zur Geschichte der epischen Poesie hei den Griechen, p. 183.

[4]) cf. Peppmüller, Comment. des XXIV. B. der Ilias, p. VI sq.; pag. 346.

annos praeparasse magnam expeditionem, totidem ante Troiam dimicavisse tradunt (schol. ad h. l. Dind. IV, 361. Tzetz. Antehom. 166—172). Neque vero apud antiquiores scriptores huius rei invenitur commemoratio, neque tota haec sententia rerum conexu probatur. Apertum est hoc posteriore aetate, ut difficultates temporum solverentur, ab interprete Iliadis excogitatum esse. Immo statuendum est aut qui hunc locum confecerit, non rationem habuisse aliorum Iliadis locorum neglegentia quadam usum, aut — id quod placuit Welckero [5]) — respexisse bellum Teuthranteum, quod in Cypriis postea accurate explicatum est. Neque enim eum, qui Cypria composuit, de suo Telephi fabulam finxisse sed de antiquiore aliqua traditione hausisse verisimile est (cf. Nitzsch l. l. p. 185 sq.). [6])

Iam Odysseam contemplemur. Eurypylum Telephidam auxilium Troianis tulisse a poëta narratur. Ulixes enim ad inferos degressus Achilli renuntiat, quae magnifice gesserit filius illius ad Scamandrum, cum alia tum haec (λ 519 sq.):

ἀλλ' οἷον τὸν Τηλεφίδην κατενήρατο χαλκῷ,
ἥρω' Εὐρύπυλον· πολλοὶ δ' ἀμφ' αὐτὸν ἑταῖροι
Κήτειοι κτείνοντο γυναίων εἵνεκα δώρων.
κεῖνον δὴ κάλλιστον ἴδον μετὰ Μέμνονα δῖον.

Eurypylus est heros Asiaticus, quales in Iliade Glaucus et Sarpedon exstiterunt, Telephi filius, rex Ceteorum [7]), quo nomine Mysi significantur, quorum regnum apud posteriores Telephus obtinet. Nihil ex hoc loco de bello Teuthranteo concluditur aut de Telephi origine Arcadica. Sed verbis *γυναίων εἵνεκα δώρων* indicatur notam fuisse poëtae fabulam postea in Iliade parva latius expositam, de qua infra agam. [8])

Iliadis et Odysseae versus ad Telephi fabulam relatos post-

---

[5]) Welcker, ep. Cycl. II p. 124.

[6]) *B* 858 sq. Mysi commemorantur inter Troianorum socios, duces eorum Chromis et Ennomus. cf. *P* 218.

[7]) De Ceteorum nomine cf. Welck., ep. Cycl. II, 137 adn. 72. Wilamowitz, Hom. Unters. p. 152.

[8]) cf. G. W. Nitzsch, erklärende Anmerkungen zu Homers Odyssee III p. 291 sq., qui ostendit recte ea verba explicari ex parvae Iliadis fabula, non multum valere grammaticorum veterum (Aristarchi) dubitationem.

quam perlustravimus, videmus apud Homerum nihil inveniri de duabus Graecorum expeditionibus, nihil de proelio ad Teuthraniae litus cum Telepho commisso, Telephum tantum nominari Eurypyli patrem, qui occisus est ab Neoptolemo.[9])

§ 2. Poëtae cyclici.

Sequitur ut ostendamus, quomodo Telephi fabula a poëtis, qui Homerum secuti fabulas Troianas cecinerunt et vulgo cyclici appellantur, tractata sit. Sed antequam Telephi ipsius facta exponam, quid de Eurypyli gestis Odysseam secutus is, qui parvam Iliadem composuit, tradiderit paucis attingam. Haec Proclus grammaticus in chrestomathia grammatica, cuius epitome exstat, breviter refert nihil eis adiungens, quae ex Odyssea nota sunt: *Εὐρύπυλος δὲ ὁ Τηλέφου ἐπίκουρος τοῖς Τρωσὶ παραγίνεται, καὶ ἀριστεύοντα αὐτὸν ἀποκτείνει Νεοπτόλεμος* (Kinkel, frg. epic. p. 37). Huc accedit, quod Pausanias (III, 26, 7) ex parva Iliade affert Machaonem ab Eurypylo in pugna interfectum esse. Praeterea fragmentum parvae Iliadis (Kinkel 6) recte ad hanc carminis partem ab hominibus doctis relatum est[1]):

Ἄμπελον, ἣν Κρονίδης ἔπορέν οἱ παιδὸς ἄποινα
χρυσείην φύλλοισιν ἀγανοῖσι κομόωσαν[2])
βότρυσί θ', οὓς Ἥφαιστος ἐπασκήσας Διὶ πατρὶ
δῶχ', ὁ δὲ Λαομέδοντι πόρεν Γανυμήδεος ἀντί.

Nam si perlegimus, quae ad Odysseam (λ 519) scholiasta ex Acusilao exscripsit (Dind. p. 517) Priamum Astyochae Eurypyli matri auream vitem dono dedisse, ut filium Troianis auxilium ferre sineret, facile videmus ad hanc vitem verba supra allata pertinere. Atque hanc fabulam iam in Odyssea verbis *γυναίων εἵνεκα δώρων* significatam esse supra commemoravi. Quod cum Welckerus concedat (l. l. p. 253) atque refellat eorum opi-

[9]) cf. Nitzsch, Beiträge p. 184.

[1]) cf. Nitzsch, Anm. l. l.; Welcker, ep. cycl. II pp. 241. 253.

[2]) Non dubium est, quin corruptus sit versus secundus; cf. Kinkel, adnot. ad frg. Peppmüllerus (Iahn. annal. phill. 131 p. 836) aut scribi vult *φύλλοισιν ἀπειρεσίοις κομόωσαν* collato Apoll. Argon. III, 928 aut *φύλλοισιν ἀγαλλομένοις κομόωσαν* collato Oppian. Halieut. IV, 319.

nionem, qui poëtam non de matre, sed de uxore Eurypyli, altera quadam Eriphyla, cogitasse existimabant[3]), negat tale opus artificiosum Homeri aetati tribui posse, vix recte ut mihi quidem videtur.[4]) Ceterum tota Acusilai narratio haud scio an ex Iliade parva desumpta sit. Atque vix dubium, quin Telephus apud auctorem huius carminis fuerit homo Arcadicus, qui in Mysiam immigraverat (de Arcadica Telephi origine cf. Wilamowitz l. c.). Quae in Cypriis carminibus narrantur de Telepho, etiam Leschem tetigisse videmus ex verbis scholii Ven. (B) ad Il. *T* 326: *ὁ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα γράψας ἀναζευγνύντα αὐτὸν (τὸν Ἀχιλλέα) ἀπὸ Τηλέφου προσορμισθῆναι ἐκεῖ·*

Πηλείδην δ᾽ Ἀχιλῆα φέρε Σκῦρόνδε θύελλα
ἔνθ᾽ ὅ γ᾽ ἐς ἀργαλέον λιμέν᾽ ἵκετο νυκτὸς ἐκείνης.

(Kinkel. l. l. p. 40; cf. p. 19.)

Venio ad id carmen epicum, quo tota Telephi fabula primum accuratius narrata est, Cypria quae vocantur, de rebus antehomericis, ut ita dicam, composita. Atque quem dixi Proclus, postquam Graecorum exercitus concilium rettulit, ita pergit (Kinkel. p. 18 sq.): *ἔπειτα ἀναχθέντες Τευθρανίᾳ προσίσχουσι καὶ ταύτην ὡς Ἴλιον ἐπόρθουν· Τήλεφος δὲ ἐκβοηθεῖ Θέρσανδρόν τε τὸν Πολυνείκους κτείνει καὶ αὐτὸς ὑπὸ Ἀχιλλέως τιτρώσκεται. ἀποπλέουσι δὲ αὐτοῖς ἐκ τῆς Μυσίας χειμὼν ἐπιπίπτει καὶ διασκεδάννυνται ... ἔπειτα Τήλεφον κατὰ μαντείαν παραγενόμενον εἰς Ἄργος ἰᾶται Ἀχιλλεὺς ὡς ἡγεμόνα τοῦ ἐπ᾽ Ἴλιον πλοῦ.* Tum iterum Aulida conveniunt, Iphigenia immolatur, Troiam faustis ventis pulsi navigant Graeci. Hoc uno loco Telephi fabulam in Cypriis exstitisse diserte commemoratur. Nulla fragmenta huius Cypriorum partis aetatem tulerunt. Et

[3]) cf. Schol. Iuvenal. VI, 655. 'Post mortem huius (Telephi) filius Eurypilus vir fortis fuit. Hunc saepius ad auxilium petit Priamus, ille negavit monitus scilicet a patre suo. Ergo cum non posset aliter Priamus eum sollicitare, fecit vitem ex auro et misit ad uxorem eius Eriphylen. Haec accepto munere tanto marito persuasit e. q. s.'

[4]) Bene Welckerus monuit, in Iliade Troi — nam is in Iliade pater est Ganymedis — equos dono dare Iovem (*E* 265. *Y* 230), non vitem. Sed ea est diversitas inter Iliadem et Iliadem parvam, non inter Iliadem et Odysseam intercedens. Errorem illum de patre Ganymedis ex *Ψ* 348 fluxisse Welckerus suspicatur. Ptolemaei nugae (Westermann Mythogr. 196, 30) procul habendae sunt.

tamen praeter ea nonnulla, quae de Telephi rebus gestis in Cypriis ficta erant, comperimus, si modo accurate perlustramus, quae a posterioribus scriptoribus de Telepho conscripta sunt. Sed cavendum est, ne res a posterioribus, imprimis poëtis tragicis, traditas, ni certa nobis praesto sunt argumenta, ad carmina epica referamus. Nam etsi constat ex iis pendere permagnam tragicorum copiam fabularem, tamen parum compertum habemus de carminibus cyclicis, ut certo diiudicemus, quam multa poëtae tragici commutaverint; atque quam saepe infimae aetatis scriptores non epicas sed tragicas fabulas sequantur, nemo est quin sciat. Itaque si Welckerum praecipue secuti conamur quaenam ex posterioribus scriptoribus de Cypriorum argumento concludantur componere, fatemur non prorsus certa sed verisimilia aut probabilia tantum proferri. Primum vix dubium, quin oraculum *ὁ τρώσας ἰάσεται*, Procli verbis *κατὰ μαντείαν* significatum, locum habuerit in Cypriis, praesertim cum omnes posteriores in eo commemorando consentiant[5]) (Welcker. II, p. 101). Tum locos Pindaricos, quibus proelium ad Caicum a Graecis et Telepho commissum commemoratur, ex Cypriis pendere recte Welckerus coniecit[6]) docentque id excerpta ex Proclo supra allata. Sed cum infra suo loco Pindari versus afferam, hic tantum quid eis contineatur commemoro: Danai Teuthraniam appulsi ad Caici fluctus a Telepho ad naves reiciuntur, Thersander necatur, Polynicis filius; Achilles solus resistit cum Patroclo, Telephum vulnerat, conspergit vitiferum campum Telephi atro cruore, Patroclum exin nunquam a latere suo discedere sinit. Ex quibus praeter ea, quae Proclus rettulit, comperimus Patrocli eximiam fortitudinem[7]); praeterea Welckerus coniecit Pindarum respicere vocibus *ἀμπελόεν πεδίον* (Isth.

---

[5]) Praeter alia schol. Il. *Α*, 59: *μηδένα δύνασθαι αὐτὸν θεραπεῦσαι ἢ τὸν τρώσαντα* (Eustath. ad Il. *Α*, 59: *τὸ θρυλλούμενον ὁ τρώσας ἰάσεται*); schol. Aristoph. Nub. 919: *τῆς Πυθίας ὁ τρώσας ἰάσεται ἀνελούσης*; Tzetz. ad Lycophr. 211: *εἰ μὴ ὁ τρώσας ἰάσεται.* Haec verba postea proverbii loco usurpata sunt. cf. Iahn., Tel. u. Troil., p. 23 adn. 23.

[6]) Ep. cycl. II, 138. cf. Boeckh, explic. ad Pind. Ol. IX, 107 p. 192. Lübbert, de Pindari studiis Hesiodeis et Homericis, p. 14.

[7]) Patroclum hoc in proelio fortiter dimicasse secundum carmina epica probatur etiam vase fictili mus. Berol. (2278 Furtwaengler.)

VII, 109) id, quod posteriores referunt, Telephum ab Libero vitis palmitibus impeditum esse.[8]) Hanc sententiam probat scholium huic loco adiectum πρὸς ἀμφότερα δὲ τοῦτό φησι καὶ ὅτι ἡ Μυσία οἰνοφόρος καὶ ὅτι κλήμασιν ἀμπέλων πεδηθέντα Τήλεφον τὸν Αὔγης καὶ Ἡρακλέους ἀνεῖλεν ὁ Ἀχιλλεύς. Quod si rectum est, hoc iam in carmine epico relatum esse verisimile est. Haec coniectura firmatur vase fictili, quod servatur in museo Petropolitano (1275 Stephani) et editum est ab Adolpho Michaelisio.[9]) Nam postquam Michaelisius, quod in vase Patroclus et Diomedes inscriptionibus significati simul participes proelii sunt, suspicatus est repraesentari pugnam ad Caicum commissam, sed hanc coniecturam abiecit propter alia cum ea minime congruentia in imagine, Petersenus Petropoli accuratius vase examinato cum statuisset magnam eius partem non antiquis temporibus confectam sed hac aetate suppletam esse, conatus est antiqua ab additamentis secernere. Atque antiquam vasis partem optime referri ad pugnam Teuthranteam ostendit Loewyus praesertim eo nixus, quod Liberum repraesentatum esse ex inscriptione (. ΝΥΣΟΣ) et thyrso concluderetur. Vas autem confectum esse videtur prima saeculi quinti parte, ut videamus tum notissimum fuisse auxilium a Libero Graecis allatum. Praeterea Robertus[10]) Overbeckium secutus comprobare conatus est in Cypriis carminibus narratum esse id, quod poëtae tragici postea fabulis inseruerunt, Telephum, ut sanaretur, cum Oreste ad aram Agamemnonis confugisse; quam rem, cum de Aeschyli Telepho agam, accuratius tractabo.

Atque si complectimur animis quae de fabula Telephi Cypriis carminibus tradita sunt, atque comparamus cum iis, quae scholiasta adnotat ad Hom. Il. *Α* 59 narrationi suae praeponens

---

[8]) cf. Lycophr. 206. Tzetzam ad h. l. Schol. Il. *Α* 59. Eustath. ad h. l. Dict. II, 3. Iordanis Getica c. IX. Apud Eustathium et Iordanem ex equo cadit Telephus. Causa, cur Liber Argivis auxilium ferat, est apud Il. schol., quod Telephus deum honoribus privaverit, cum Lycophron narret, Agamemnoni pro sacrificiis sibi oblatis Liberum gratias rettulisse.

[9]) Mon. dell' Inst. VI, tab. 34. cf. Annali 1859, p. 267 sq. Petersen, Arch. Z. 1879 p. 9 sq. Loewy, archaeol.-epigr. Mitt. aus Oestr. IV, p. 220 sq.

[10]) Bild und Lied, p. 146 sq. cf. infra p. 17 sq.

verba οἱ νεώτεροι ποιηταὶ ἐντεῦθεν σημειοῦνται ἱστοροῦντες addensque eius fini ταῦτα οἱ νεώτεροι, videmus, quaecunque hoc scholio continentur, in carminibus Cypriis locum habuisse ex aliis testimoniis concludi. Quam ob rem suspicor[11]) scholii narrationem ad Cypria referendam esse. Quod confirmatur verbis scholii intermarginalis πρὸς τὴν τῶν νεωτέρων ἱστορίαν, ὅτι ἐντεῦθεν τὴν κατὰ Μυσίαν στρατείαν ἔπλασαν, quibus cyclicum praecipue poëtam significari ex ratione veterum grammaticorum concluditur. His expositis eas mythographorum et scholiastarum narrationes paucis tractabo, quae mihi epicam fabulae formam servare videntur. Qua re non excluditur eas ex tragoediis partim fluxisse; cum autem hoc dignoscere non possimus, ni certis rebus diversae sunt ab epica fabulae forma, huius rei non rationem habebo. Atque primum quidem scholio Iliadis usum esse Eustathium (46, 32) probatur cum utriusque narrationis consensu tum verbis χρώμενοι τῇ τῶν νεωτέρων ἱστορίᾳ. Sed cum aliis rebus non discrepet ab scholiasta, non sicut ille ipsum Telephum sed eius equum palmitibus vitis praecipitatum esse Eustathius narrat. Hoc eius inventioni tribuerem, ni idem apud Iordanem (Getica c. IX) legeremus, qui scripsit Cassiodorium secutus 'equo cadente ipse (Telephus) corruit'. Cassiodorius, cuius narrationem ex Dictye petitam esse constat[12]), hac in re cum Dictye dissentit et seu quemvis alium scriptorem sive Graecum Dictyem — si Graece confectus est liber et translatus in sermonem Latinum — sequitur, quo etiam Eustathius usus est. Licet hoc incertum sit, hoc tamen non dubitandum, quin ex hac narratione forma fabulae antiqua haud recte concludatur. Nam Graeci heroicae aetatis equis non utuntur ad equitandum sed curribus vehuntur in proelia. Deinde Libanius (Ἀχιλλέως ἀντιλογία IV, 50 Reiske) fabulam narravit, qui ab eis quas dixi non dissentit, nisi quod de auxilio ab Libero Graecis lato tacet et deum, a quo oraculum petit Telephus, Delphicum fuisse tradit. Sed Apollineum oraculum Telepho dedisse, etsi non diserte commemoratur, subauditur tamen in reliquis narrationibus; illud autem ex eo explicatur, quod

[11]) cum Welckero, ep. cycl. II, 139 adnot. 74.

[12]) cf. Th. Mommsen., Hermes X p. 383 sq. Wagener., annal. philol., vol. 121 p. 509 sq.

ipse res gestas refert Achilles, qui, si dei auxilium renuntiasset, suam ipsius minuisset gloriam. Tum Telephi gesta narrat breviter scholiasta Aristophanis (Nub. 919), qui a ceteris quos dixi in eo dissentit, quod Telephum in Thessaliam, ut sanaretur ab Achille, profectum esse refert. Sed Thessaliae nomen errori scholiastae recte Iahnius tribuit [13]) Proximum est ut afferam similia narrare scholiastam Lycophronis (Alex. 206. Kinkel., ed. Lycophr. p. 84), quem Tzetzes sequitur, in ea re autem discrepare ab Iliadis scholio, quod cum Lycophrone propter sacrificium ab Agamemnone sibi factum Graecis deum auxilium tulisse tradit. Sed mihi verisimilius videtur Telephum dei numen violasse ideoque poenas dare antiquioribus carminibus traditum esse. Quae praeterea Philostratus, Dictys, Iordanes, Tzetzes de Telepho narraverint, infra explicabo. Etenim praeter nonnulla ex epico carmine decerpta multa sunt ab ipsis excogitata, ut caveamus oporteat, ne ex iis aliquid de Cypriis concludatur, nisi alia argumenta accedant.

§ 3. Pindarus aliique poëtae lyrici.

Apud poëtas lyricos praeter Pindarum frustula tantum exstant, ex quibus nihil novi comperiamus sed id cognoscamus pervulgatam fuisse fabulam saeculis antiquioribus. Atque Eurypyli facta Archilochum commemoravisse ex Hesychio concluditur, qui s. v. *πυρριχίζειν* tradit Archilochum (Bergk frg. 190) dicere Neoptolemum Eurypyli mortis gaudio exsultantem saltavisse, unde saltationum genus *πυρρίχη* appellaretur. Praeterea Simonides Amor-

[13]) Hoc scholium a codd. R et V alienum est, tantum in recentibus legitur: *ὁ Τήλεφος βασιλεὺς ἦν τῆς Μυσίας, ὃν πλανηθέντων, ὅτε εἰς Τροίαν ἀπήρχοντο, τῶν Ἑλλήνων καὶ δῃούντων τὴν αὐτοῦ γῆν ἀντὶ τῆς Τροίας, Ἀχιλλεὺς ἔτρωσεν· καὶ πάλιν ἀποροῦντα τοῦ θεραπεύσοντος, τῆς Πυθίας ʻὁ τρώσας ἰάσεταιʼ ἀνελούσης, παραγενόμενον εἰς Θετταλίαν τῷ χρησμῷ πεισθεὶς θεραπείας ἠξίωσε. δυστυχήσαντα ὕστερον πεποίηκεν Εὐριπίδης ἐν δράματι πήραν ἔχοντα καὶ προσαιτοῦντα.* Extrema scholii verba etsi aperte corrupta sunt, tamen ex voce *ὕστερον*, quod ad *πεποίηκεν Εὐριπίδης* trahitur, concludo antecedentibus verbis referri fabulam anteeuripideam. Sed neque cum epica narratione consentit neque cum fabula Aeschylea Telephum in Thessaliam migrasse ad Achillem. Nam huic rei repugnat et Procli epitome et frg. Aeschyl. 92, etiamsi hoc Iphigeniae tribuamus.

ginns proverbio *Μυσῶν λείαν* est usus[1] (Bergk frg. 37): sed nnm significationem eius ad Telephi res rettulerit, incertissimum est. Bacchylides Caicum flumen commemoravit eiusque originem ex Ida monte esse dicit, qnem Caicum in Telephi commemoratione locum habuisse Welckerus coniecit (Bergk. frg. 66. Strab. XIII, 616. Welck. Griech. Trag. p. 8). His expositis Pindari locos afferam, quos ex epico carmine fluxisse supra commemoravi. Atqne primum quidem legimns in carm. IX. olymp. v. 107sqq.

. . . Μενοίτιον· τοῦ παῖς ἅμ᾽ Ἀτρείδαις
Τεύθραντος πεδίον μολὼν ἔστα σὺν Ἀχιλλεῖ
μόνος, ὅ τ᾽ ἀλκάεντας Δαναοὺς τρέψαις ἁλίαισιν
πρύμναις Τήλεφος ἔμβαλεν·
ὥστ᾽ ἔμφρονι δεῖξαι
μαθεῖν Πατρόκλου βιατὰν νόον.
ἐξ οὗ Θέτιος γόνος οὐλίῳ νιν ἐν Ἄρει
παραγορεῖτο μήποτε
σφετέρας ἄτερθε ταξιοῦσθαι
δαμασιμβρότου αἰχμᾶς.

His versibns praeter ea, quae aliis ex fontibus de pugna ad Caicum commissa discimus, nobis traditur Patroclum praeter ceteros flornisse fortitudine, hunc solum cum Achille Telepho Graecos urgenti restitisse. Deinde poëta Achillem celebrans Telephum inter fortissimos viros, qni cum eo dimicaverint, enumerat (Isthm. IV 49 sq.):

λέγε τίνες Κύκνον, τίνες Ἕκτορα πέφνον
καὶ στράταρχον Αἰθιόπων ἄφοβον
Μέμνονα χαλκοάραν· τίς ἄρ᾽ ἐσλὸν Τήλεφον
τρῶσεν ἑῷ δορὶ Καΐκου παρ᾽ ὄχθαις.

et Telephi vnlnerationem in Isthm. VII v. 109 sq. ita commemorat:

ὃ καὶ Μύσιον ἀμπελόεν
αἵμαξε Τηλέφου μέλανι ῥαίνων φόνῳ πεδίον
γεφύρωσέ τ᾽ Ἀτρείδαισι νόστον.

[1]) Harpocration v. *Μυσῶν λείαν* qui locum Demosthenicum explicans proverbium initium duxisse dicit (de cor. p. 248 R.) *ἀπὸ τῶν καταδραμόντων ἀστυγειτόνων καὶ λῃστῶν τὴν Μυσίαν κατὰ τὴν Τηλέφου τοῦ βασιλέως ἀποδημίαν.*

ubi scholiastam falso de Telephi morte cogitare iure censuit Schneidewinus (cf. Scholia in Pind. ed. Abel II p. 506). Ceterum ex Pindari versibus, quid de Cypriis concluderetur, supra exposui.

§ 4. Logographi qui vocantur.

Venio ad logographos, qui vocantur. Ex quibus Acusilaum Eurypyli facta rettulisse ex Homeri scholio supra commemorato (Od. λ 519) cognoscimus, cui subscripta sunt verba ἡ δὲ ἱστορία παρὰ Ἀκουσιλάῳ. Etenim quamquam hac aetate de subscriptionibus scholiorum dubitationes motae sunt haud spernendae, hoc loco nullam video causam, cur Acusilao fabulam abiudicemus. Neque enim quidquam invenio, quo cogamur suspicari fabulae posteriore aetate compositae falso adscriptum esse logographi nomen. Haec fere scriptor tradit: Eurypylum, Astyoches et Telephi Heraclidae filium, Mysorum regem auxilium a Priamo petitum recusavisse propter matrem. Quam Priamum vitis dono aureae adduxisse, ut filium in bellum proficisci sineret. Eurypylum ab Achillis filio in proelio occisum esse (Müller, frg. hist. Gr. 27). Hoc ex Acusilai genealogiis desumptum esse Müllerus censet, atque propter operis compositionem verisimile mihi videtur etiam de Telepho verba fecisse scriptorem. Praeterea Pherecydem Ceteum stirpi regum Arcadicorum immiscuisse propter Telephum, quod Mysi etiam Cetei appellabantur, Welckerus censet.[1]) His addo quae ex Hecataeo Milesio de Telephi infantia apud Pausaniam servata sunt: (VIII 4. 6.) ταύτῃ τῇ Αὔγῃ τῷ Ἑκαταίου λόγῳ συνεγίνετο Ἡρακλῆς, ὁπότε ἀφίκοιτο ἐς Τεγέαν· τέλος δὲ καὶ ἐφωράθη τετοκυῖα ἐκ τοῦ Ἡρακλέους καὶ αὐτήν ὁ Ἄλεος ἐσθέμενος ὁμοῦ τῷ παιδὶ ἐς λάρνακα ἀφίησιν ἐς θάλασσαν. καὶ ἡ μὲν

[1]) ep. cycl. II, p. 137 adn. 72; Müller. frg. 86. — Apollodorus, ubi de stirpe regum Arcadicorum agit, Callistus patrem fuisse Ceteum Pherecydem tradidisse dicit (cuius patrem Lycaonem fuisse plurimi narrant). Quem invenimus in stirpe, quam scholiasta adnotat ad Eur. Or. 1647 (Dind. II p. 338). Sed ne hoc scholium totum ex Pherecyde fluxisse statuamus, ea re impedimur, quod apud Pherecydem Pelasgi uxorem fuisse Deianiram, Lycaonis Cyllenen comperimus ex Dionys. Halic. Archaeol. I, 13 (Pherec. frg. 85 Müller), cum scholiasta Euripidis Pelasgo Cyllenen, Lycaoni Orthoniam tribuat.

ἀφίκετο ἐς Τεύθραντα, δυνάστην ἄνδρα ἐν Καΐκου πεδίῳ, καὶ συνῴκησεν ἐρασθέντι τῷ Τεύθραντι.[2])

Haec narratio summi momenti est maxime ob eam causam, quod quomodo poëtae epici, quos Telephi originem Arcadicam attigisse verisimile est[3]), Telephi infantiam tractaverint, non compertum habemus. Sed vix potest enucleari, ex quo fonte hauserit scriptor narrationem[4]), cum aliam fabulae formam Aeschylum secutum esse certum sit.[5]) Neque vero dubium est, quin haec omnia Hecataeo recte tribuantur, non prior tantum narrationis pars; nam ab eis, quae aliis locis de Telepho narrat Pausanias, plane diversa sunt.

§ 5. Aeschylus.

Quoniam exposui quae de Telephi fabula apud scriptores antiquiores nobis tradita essent, venio ad eam partem dissertationis meae, qua quomodo poëtae tragici fabulam tractassent, demonstrare mihi proposui. Primum in Aeschyli deperditarum tragoediarum numero Mysi et Telephus commemorantur. Et haec quidem tragoedia ipso titulo fabulis, de quibus agimus, tribuitur; illam ad Telephum spectare iam pridem ostenderunt homines docti. Atque de Mysis pauca nobis tradita sunt, perpauca servata fragmenta (Dindorf. poët. scen. frg. 141–144. Nauck. trag. Graec. frg. 139—141). Summam argumenti Welckerus coniectura restituere conatus est; vehementer autem castigatur a Vatero, cui fere nihil de fabulae argumento constare persua-

---

[2]) cf. Strabo XIII, p. 615.

[3]) Augae Telephi matri quae accidissent, in epicis carminibus relatum esse Robertus censet, Annali dell' Inst. 1884, p. 81: „Vista poi le parte importante di Telefo nella poesia epica molto probabilmente il mito di Auge già nel periodo epico fu introdotto nella letteratura."

[4]) Similia aetate antiquiore de Perseo narrantur: Pherecydes in schol. Apoll. Rhod. IV, 1515; Simonides apud Dion. Hal. de comp. verb. c. 36. cf. Bergk., poët. lyr.[3] p. 1130. Fabulae similes leguntur in schol. vet. ad Lycophr. 570; Kinkel, ep. frg. p. 29; Paus. III, 24, 3.

[5]) Cum secundum Hecat. Telephus una cum matre fluctibus in Mysiam deferatur, apud Aeschylum Telephus, postquam adolevit in Arcadica, in Mysiam venit et a Teuthrante filii loco accipitur.

sum est.[1]) Iam singula tractantes proficiscamur a fragmentis. Ex quibus diserte Mysis tribuuntur a Photio [et Suida] haec verba (142 Dind.):

ποταμοῦ Καΐκου χαῖρε πρῶτος ὀργεών,
εὐχαῖς δὲ σώζοις δεσπότας παιωνίαις,

quibus famulus a Caici fluminis sacerdote petit, ut dominum precibus salutaribus sanet. In Mysia igitur ad Caici ripam res agitur, quod Mysorum titulo comprobatur; nam eo chorum significari ex usu tragoediae Graecae efficitur. Sed quinam est dominus ille aegrotus, quonam morbo aut vitae periculo opprimitur, ut a sacerdote salutem petat per famulum? Quod ut cognoscamus, Stephani Byzantii verbis adiuvamur: *Οἶος, πολίχνιον Τεγέας· Αἰσχύλος Μυσοῖς* (143. Dind.). Nam recte ex iis concluditur Mysorum argumentum desumptum esse ex Auges et Telephi fabula, qua sola Mysiae et Tegeae coniunctio contineatur et ita oppiduli Arcadici explicetur commemoratio. Quod cum Vaterus concedat, plura enucleari posse negat de fabulae argumento (Rhesus p. 297); neque enim certum esse Telephum salutem petere a Caici sacerdote, cum fingi possit Teuthrantem terrae dominum a famulo significari. Rem his fragmentis haud discerni cum appareat, aliam ingrediamur viam ad argumentum restituendum. Aristoteles enim cum in arte poëtica (c. 24. 1460ᵃ 29) vetet poëtas fabularum argumenta componere ex partibus rationi non consentaneis, inter exempla huius rei affert eum, qui in Mysis mutus ex Tegea in Mysiam venit. Tyrwhittius in editione artis poëticae (p. 165 sq.) Telephum esse mutum illum hominem acute demonstravit allatis duorum comicorum locis et posteriorum narrationibus de Telepho in Mysiam immigrante compositis. Primum Alexis in Parasito de homine voraci dicit (Kock, com. Att. frg. II p. 364, n. 178):

καλοῦσι δ' αὐτὸν πάντες οἱ νεώτεροι
παράσιτον ὑποκόρισμα· τῷ δ' οὐδὲν μέλει.

---

[1]) Welcker, die aeschylische Trilogie Prometheus nebst Winken über die Trilogie des Aeschylus überhaupt. Darmst. 1825. Id., die griechischen Tragoedien mit Rücksicht auf den epischen Cyclus geordnet. Bonn 1839—1841. Vater, Untersuchungen über d. dramatische Poesie der Griechen, p. 43 sq. Id., Rhesus Euripidis, p. 283 sq.

δειπνεῖ δ' ἄφωνος Τήλεφος, νεύων μόνον
πρὸς τοὺς ἐπερωτῶντάς τι

et Amphis in Plano salsamentariorum Atheniensium impudentiam ita carpit (Kock II p. 244, n. 30):

οὓς ἂν ἐπερωτήσῃ τις ἀναλαβών τι τῶν
παρακειμένων ἔκυψεν ὥσπερ Τήλεφος
πρῶτον σιωπῇ· καὶ δικαίως τοῦτό γε·
ἅπαντες ἀνδροφόνοι γάρ εἰσιν ἑνὶ λόγῳ.

Haec verba ad Telephum, Herculis filium, spectare, non ad hellnonem aliquem notissimum, ut Geelius putat (de Teleph. Eurip. p. 9), ex ultimo versu efficitur. Suo iure salsamentarios silere poëta comicus dicit, nam omnes homicidas esse scilicet ut Telephum. Etenim quamquam recte Meinekius (frg. com. III. p. 314) adnotat voce ἀνδροφόνους omnes dictos esse insigniter improbos, tamen ex sententiarum conexu sequitur poëtam per iocum vocem proprio sensu ponere. Ex more enim sancito homicidas vetitos esse loqui, antequam ab aliquo lustrati essent, comperimus ex Aeschyli Eumenidibus (448):

ἄφθογγον εἶναι τὸν παλαμναῖον νόμος,
ἔς τ' ἂν πρὸς ἀνδρὸς αἵματος καθαρσίου
σφαγαὶ καθαιμάξωσι νεοθήλου βοτοῦ.

atque ex Euripidis fragmento (996. Dind.):

τί σιγᾷς; μῶν φόνον τιν' εἰργάσω;

Ergo comicorum locis, si cum eis coniungimus, quae de Telepho in Mysiam proficiscente tradita sunt[2]), probatur Aristotelem voce ἄφωνος Telephum significare et tragoediam Mysorum commemorare, cuius primas partes Telephus egerit. Nam primum locum tenere in dramate mutum hominem ex eo concluditur, quod Aristotelis vituperationem ad fabulae totius compositionem, non partes secundas spectare ex iis quae sequuntur verbis apertum est. His expositis quaeritur ad quam tragoediam haec Aristotelis verba pertineant. Nam fabulas huius nominis docuerunt Aeschylus, Sophocles, Agathon, Nicomachus.

---

[2]) Hygin. fab. 99. 100. 244. Apollod. III, 9, 1. Diod. IV, 33. Tzetz. ad Lycophr. 206. Paroemiogr. append. II, 85. Schol. Eurip. Rhes. 248. Suid. s. ἔσχατος Μυσῶν.

De Agathonis (Welck. Trag. p. 990) et Nicomachi (p. 1013) Mysis cum nihil veterum scriptorum testimoniis traditum sit, vix putaverim ad eos spectare Aristotelis verba, quod ex ipsa verborum forma intellegitur notissimam philosophum fabulam significare. Fabulae autem antiquioris proprium fuisse Telephum mutum et ob eam causam ab omnibus poëtis scaenicis receptum esse mihi non verisimile videtur, quod Aristotelis vituperationem ad certae fabulae compositionem pertinere exemplis, quae praeterea attulit, ostenditur.[3]) Ergo Sophocles et Aeschylus relinquuntur. Et quamquam de Sophoclis tragoedia haud plura comperta habemus quam de Aeschyli, tamen non dubium est, quin in ea Telephus in Mysiam adveniens primas partes egerit. Singulari autem ξένε fragmenti 360 (Dind.), quod ex prologo fabulae Sophocleae esse Welckerus recte contendit, non prohibemur putare Telephum a famulo comitatum in scaenam prodiisse. Neque vero argumento ab Theodoro Bergkio allato, quod in verbis antecedentibus tres Sophoclis fabulas significaverit Aristoteles omisso poëtae nomine, verisimilius esse hunc quoque locum ad Sophoclis tragoediam spectare, res ad certum finem perducitur. Neque enim certam regulam Aristotelem secutum esse in significandis tragoediis videmus perlegentes artem poëticam. Ut omissis poëtarum nominibus in decimo octavo capite complures fabulae afferuntur, in his Aeschyleae αἵ τε Φορκίδες καὶ Προμηθεὺς καὶ ὅσα ἐν ᾅδου.[4]) Si igitur prorsus certa de Aeschyli fabula non hausimus ex Aristotelis loco, tamen hac tota explicatione comprobari iudico in Mysis Telephum primas partes agere. Atque si iterum contemplamur verba famuli salutem domini petentis a sacerdote Caici, probabilis videtur Welckeri coniectura haec verba pronuntiari ab homine, qui Telephum comitatur ex Arcadia in Mysiam proficiscentem.[5]) Idcirco Aristotelis verba ad Aeschylum pertinere

[3]) G. Günther, Grundzüge der tragischen Kunst, p. 301, Telephum mutum in Mysis Oedipodi Laii mortem ignoranti hisce opponit: Hier konnte der Dichter recht wohl die Sinnlosigkeit und Unglaubwürdigkeit vermeiden. Dort lag das Unlogische in der Fabel selbst, die damit stand und fiel.

[4]) Verbis ὅσα ἐν ᾅδου significatur Aeschyli fabula ψυχαγωγοί, Günther, Grundz. d. tr. Kunst, p. 291; Welcker, Tril. p. 458.

[5]) Günther l. l. p. 292.

censeo. Huic argumentationi non recte Vaterus (Eurip. Rhes. p. 295) opponere mihi videtur nullam causam esse cur Telephi famulum loqui putemus, Teuthrantis regis famulum esse posse. Neque ullum huius sententiae in rebus fundamentum. Nam si Vaterus Hygini fabulam centesimam considerans dicit 'potest Teuthrantis famulus a Caici sacerdote petivisse, ut votis suis tutaretur Teuthrantem ab Ida', nulla omnino est causa, cur eam Aeschylo tribuamus, immo demonstrari posse iudico eam referendam esse ad posterioris aetatis poëtam; et si homo doctus eam explicationem restare iudicat famulum voluisse sacerdotis vota fieri pro Telepho Achillis hasta vulnerato, hoc omni caret ratione.[6]) Sed hoc unum mihi videtur aliquo modo obscurum esse Telephum a sacerdote Caici lustrationem petere. Nam permultis exemplis ex fabulari historia desumptis ostenditur non a sacerdotibus sed ab regibus homicidas lustrationem petere solere; tum mihi videtur haud dubium esse, quin, ut ab ipso Teuthrante lustraretur, Telephus in Mysiam profectus sit apud Aeschylum. Hunc enim significari oraculo a compluribus commemorato (cf. adnot. 2) *ἐπὶ τὸν ἔσχατον Μυσῶν πλεῖν* apertum est; atque hoc ipsum aut huic simile Telepho datum esse apud Aeschylum mihi videtur verisimile.[7]) Sed nescio an in eo posita fuerit fabulae implicatio, quod quaerenti Telepho *τὸν ἔσχατον Μυσῶν* ignotum esset oraculo Teuthrantem significari et ob eam causam primum famulus auxilium peteret a sacerdote. Sed hoc incertum est propter fontium inopiam.

Praeterea a Pauwio, quem plerique homines docti secuti sunt (Welckerus, Dindorfius, Nauckius), ad Mysos relatum est fragmentum (141 Dind.):

ἰὼ Κάϊκε Μύσιαί τ' ἐπιρροαί,

---

[6]) Insulsi illius de fluviis libri, quem inter Plutarchi scripta traditum habemus, caput XXI, ubi de Caico flumine et de Teuthrante mendacia quaedam proferuntur, nullius omnino momenti esse vix est quod moneam. cf. Vater, Unters. p. 44.

[7]) Simile oraculum Orestae datum esse legimus in capite de inventione Bucolicorum. Ziegler, cod. Ambros. scholl. in Theocr., p. 1 (Ahrens, Bucol. Gr. II p. 4): *Ὀρέστῃ γὰρ ἐκκομίζοντι τὸ τῆς Ἀρτέμιδος ξόανον ἐκ Ταύρων τῆς Σκυθίας χρησμὸς ἐξέπεσεν, ἐν ἑπτὰ ποταμοῖς ἐκ μιᾶς πηγῆς ῥέουσιν ἀπολούσασθαι· ὁ δὲ πορευθεὶς εἰς Ῥήγιον τῆς Ἰταλίας τὸ ἄγος ἀπενίψατο ἐν τοῖς λεγομένοις διαφόροις ποταμοῖς.*

quod κατὰ τὴν εἰσβολὴν τοῦ προλόγου Myrmidonum fuisse Strabo (XIII p. 616) tradit. Et quamquam Godofredus Hermannus (opusc. V p. 139) et Vaterus (Rhesus p. 295) negant Myrmidonibus recte abrogari verba, tamen mihi persuasit Welckerus (Trag. p. 54) a Myrmidonibus ea aliena esse, praesertim cum illam fabulam ab anapaestis incepisse constet (frg. 128. Dind.). Quod si concedimus, probabilis videtur Welckeri coniectura haec verba dicta esse a famulo cum domino muto adveniente et antecessisse eis verbis, quae Caici dicit sacerdoti.[8]) Quae praeterea Welckerus suspicatur de loco, quem fabula in trilogia de Telephi gestis composita habuerit, certis carent fundamentis. Necem Aleadarum ab eo tractatum esse nulla re probatur.

Venio ad Telephum Aeschyli, ex qua fabula duo vel tria fragmenta servata sunt (Dind. frg. 236—237. Nauck 234—236. cf. Welcker, Tril. p. 562. Gr. Trag. p. 31. Iahn, Teleph. u. Troil. p. 36). Primum enim unam viam ad inferos esse Telephum apud Aeschylum dixisse cum alii tum Plato (Phaed. p. 108 A. Dind. 236) tradiderunt; deinde Hesychius ex Aeschyli Telepho affert verba ἀμφιδεξίοις χερσί. Ex his fragmentis nihil de argumento cognoscitur. Praeterea autem verba κύδιστ' Ἀχαιῶν, Ἀτρέως πολυκοίρανε μάνθανέ μοι παῖ Aristophanem (Ran. 1270) ex Telepho hausisse Timachidas censet, cum Asclepiades ea Iphigeniae tribuat. Quae etsi certo diiudicare non possumus atque Asclepiadis testimonium praeferendum est, tamen mihi recte concludi videtur ex ea re, Agamemnonem aliquas partes egisse in fabula. Neque enim aliter Timachidae adnotatio, ni scriptorem plane inepte eam apposuisse versui Aristophaneo arbitremur, explicatur (Ribbeck, röm. Trag. p. 346, adn. 5). Qua re probata verisimile est eam fabulae partem tractatam esse, quam ab poëta epico narratam esse supra vidimus, Telephi sanationem Achillis hasta effectam. Quod probatur scholio Aristoph. Acharn. (v. 332), etsi de eo magnas dubitationes esse iam videbimus: τὰ δὲ μεγάλα πάθη ὑποπαίζει τῆς τραγῳδίας, ἐπεὶ καὶ ὁ Τήλεφος κατὰ τὸν τραγῳδοποιὸν Αἰσχύλον, ἵνα τύχῃ παρὰ τοῖς Ἕλλησι σωτηρίας, τὸν Ὀρέστην εἶχε συλλα-

[8]) cf. Lobeck, Aglaoph. p. 300 sq.; epimetr. II, p. 967 sq.

βοῶν. παραπλήσιον δέ τι καὶ ἐν ταῖς Θεσμοφοριαζούσαις ἐποίησεν. His verbis, si recte se habent, ostenditur in Aeschyli fabula aliqua Telephum Orestem infantem corripuisse, ut vitam defenderet. Hanc fabulam esse Telephum apertum est; imprimis hoc comprobatur Telephi Euripidis comparatione, ubi locum habuisse scaenam illam mihi persuasum est.[9]) Nam Aristophaneum locum si contemplamur et consideramus, in Acharnensium fabula poëtam maxime id agere, ut Euripidis Telephum carpat, mihi quidem id certum videtur esse Aristophanem hoc loco Euripidis Telephum respicere. Sed etiamsi hoc concedamus, quaerimus, utrum errori scholiastae tribuatur Aeschyli nomen nulla scaena Telephi Aeschyleae effecto, an etiam apud Aeschylum Telephum similiter egisse putemus. Primum quidem Telephum Oreste comprenso se defendere non Euripidem primum finxisse ex eo concluditur, quod in vase fictili quinti saeculi Telephus vulneratus, hasta nixus in ara sedet, Orestem infantem in gremio tenet, ad quos Agamemnon dextera manu hastam tenens accedit.[10]) Etenim recte Robertus (Bild und Lied, p. 146; cf. Jahn, Arch. Aufs. p. 172) exposuit ab aliis quibus idem repraesentatur simulacris hoc maxime differre. Atque etiamsi habitum quietum ex eius modi vasorum stilo explicamus, tamen eo prohibemur ad Euripidis Telephum vas referre, quod non gladio minitatur vitae Orestis Telephus, sed quiete eum in gremio tenet. Hac ipsa re haec effigies diversa est ab ea, quam Iahnius edidit (Teleph. u. Troil. und kein Ende, tab. I p. 4 sq.) et cum illa ab reliquis separavit. Verum si statuimus vas ad fontem Telepho Euripidea priorem pertinere, quaerimus utrum ad fabulam Aeschyleam an ad Cypria carmina referamus. Atque Robertus quidem (l. l. p. 147), cum Wilamowitzium secutus neget quemquam effugere potuisse

[9]) cf. quae infra de Eurip. Tel. explicabo. Hoc loco tantum moneo idem ac Telephum Euripidis affinem facere in Thesmophoriazusis, de quo loco recte mihi videtur iudicare Vogelius (Scenen eurip. Trag. in griech. Vasengem., p. 93): „Die That des Mnesilochus, des Freundes und Schwagers des Eur., erfüllt nur dann im eigentlichen Sinn ihren parodischen Zweck, wenn sich Mnes. bei der Vertheidigung des Dichters und seiner selbst eines von jenem gebrauchten Mittels bedient."

[10]) Mus. Brit. 724. Iahn, Arch. Aufs., tab. II. Overb., Gall. heroischer Bildw. XIII, 9.

ad Euripidem, non ad Aeschylum verba spectare Aristophanis, scholiastam putat κατὰ τὸν τραγῳδοποιὸν scripsisse, ut Euripidem significaret, addidisse postea hominem eruditione carentem nomen Aeschyli. Hac argumentatione res non cum probabilitate discernitur, cum non explicetur poëtarum commutatio, sed hominis alicuius stultitae tribuatur. At mihi scholiastae aut interpolatoris errorem ad similem narrationem apud Aeschylum inventam declarari oportere videtur, simodo alia ratione probamus Aeschylum similia protulisse. Hoc autem, si accurate interpretamur quae apud Thucydidem de Themistocle ab Molossorum rege auxilium petente narrantur, ostendi posse videtur. Etenim recte Robertus[11]) exposuit ita has narrationes inter se consentire, ut aut quod de Themistocle fugiente Athenis narraretur, ab Aeschylo in fabula usurpatum esse putandum nobis sit, aut ad Themistoclem relatam esse antiquioris fabulae narrationem. Atque apud Thucydidem (I. 136), ex quo quae postea a scriptoribus latius exposita sunt[12]) fluxisse verisimile est, legimus Themistoclem fugientem, cum ad regis Admeti domum venisset, quo inimico utebatur, ut praesidium impetraret, monitum ab eius uxore filium regis comprehendisse et cum eo in foco consedisse, qua re commotum Admetum eum surgere iussisse eique praesidium promisisse. Quibus addit Thucydides (cap. 138) ὥσπερ καὶ ἔχων αὐτὸν ἐκαθέζετο καὶ μέγιστον ἦν ἱκέτευμα τοῦτο. Ex quibus verbis concludi iudico non de dolo aliquo agi sed de Molossorum more a consuetudine Graecorum diverso. Ita Plutarchum quoque iudicasse ex eis verbis intellegimus, quibus Thucydidea καὶ μέγιστον ἦν ἱκέτευμα τοῦτο explicavit ταύτην μεγίστην καὶ μόνην σχεδὸν ἀναντίρρητον ἡγουμένων ἱκεσίαν τῶν Μολοσσῶν (cf. Welck., Gr. Trag. p. 481. O. Siemon, Quo modo Plutarchus Thucydidem legerit, p. 16 sq.). Iam si cum hac narratione comparamus vas supra descriptum, videmus, magis id congruere cum Themistoclis facto quam cum eis, quae postea de Telepho Orestis vitae minitante et narrata et picta sunt. Quam ob rem mihi verisimilius videtur, quod de Themistocle Athenis narraretur, Aeschylum ad Telephum transtulisse. Quod si statuimus, in Cypriis carminibus alio modo

[11]) cf. Geel, de Eurip. Teleph. comment. p. 13.

[12]) Plut. Themist. c. 24. Diodor. XI, 56. Nepos, Them. 8.

Telephum Agamemnonis animum sibi ascivisse putemus oportet. Atque hac re bene explicatur interpolatoris error. Apud Aeschylum simile quid narratum esse ei in mentem venit. Sed simile tantum. Ab Euripidis enim narratione posterioris aetatis simulacris saepissime expressa Aeschylea plane diversa est. Nam apud Aeschylum cum agatur de rogationis forma gravissima, Euripides rem ita convertit, ut Telephum faceret cum Clytaemnestra dolum ineuntem, infantem de cunabulis rapientem, gladio eum interficere minantem, Agamemnonem telo in eum invehentem, Clytaemnestram inter eos sese intericientem. Atque contra hanc rem Aristophanes parodiam composuit utroque comoediarum loco. De tragoediae Aeschyleae argumento accuratiora non audimus.[13])

Verisimile est Attium eodem modo fabulam tractasse, neque vero certis causis comprobatur Aeschyli fabulam ad verbum aut singulis rebus commutatis eum imitatum esse (Iahn l. l. p. 37; Ribbeck, röm. Trag. p. 345). Quae Iahnius (p. 40) de ratione inter hanc fabulam et Iphigeniam intercedente exposuit, incerta sunt; hoc vix dubium, apud Aeschylum ut in Cypriis Telephum sanatum esse, antequam Iphigenia immolaretur.

§ 6. Sophocles.

Venio ad eas fabulas, quas Sophocles de Telepho composuit, Aleadas, Mysos, Telephum.

Primum de Aleadis agam, ex quibus haud pauca fragmenta servata sunt (Dind. frg. 98—112. Nauck frg. 75—89). Argumentum primus recte cognovit Vaterus (Aleaden des Sophocles, Berl. 1835; cf. Rhesi edit. p. 284 sq. 295), cui Welckerus in universum adstipulatur (Gr. Trag. p. 408 sq.). Vaterus enim, postquam refutavit eorum sententiam, qui Aloadas esse formam genuinam arbitrati Otum et Ephialtem [1]), filios Aloei et Iphimedeae, Sophoclem in scaenam produxisse iudicabant, maiore testimoniorum parte Aleadas fabulam appellari ostendit, quo nomine

[13]) cf. quae suspicatur Wecklein, Sitzungsber. d. Münch. Ak. d. Wiss. 1878 II p. 212 adn. 1.

[1]) cf. Odyss. λ 305 sq. cum Apollod. I, 7, 4, 4. schol. Pind. Pyth. IV, 156.

Alei filios significari, regis Tegeae. Atque apud Apollodorum (III 9. 1. 2). Alei filii dicuntur Cepheus et Lycurgus, apud Pausaniam (VIII. 4. 6) Lycurgus, Amphidamas, Cepheus; sed ab eis dissentit Hyginus, qui in fabula CCXLIIII de iis conscripta, qui cognatos suos occiderunt, dicit: 'Telephus Herculis filius Hippothoum Neaerae aviae suae filium'. Nam ita cum M. Schmidtio legendum esse locum haud dubie corruptum puto propter ea, quae scripta sunt in fabula antecedente: 'Neaera, Autolyci filia, propter Hippothoi filii mortem (se ipsa interfecit)'. Et quamquam alia nomina atque scriptores Graeci Hyginus tradit, tamen ex eius narratione concluditur a Telepho Neaerae aviae filium (vel filios, si voci 'filios' posterioris loci aliquid tribuimus) occisum esse. Quod probatur duobus testimoniis Graecis. Primum enim apud paroemiographum (append. II, 85. paroemiogr. Graeci I p. 412) legimus *Τήλεφος ἀποκτείνας τοὺς τῆς μητρὸς ἀδελφοὺς νέος ὢν ἐκ Τεγέας* e. qu. s. atque in declamatione, quae inscribitur *'Οδυσσεὺς κατὰ Παλαμήδους προδοσίας'* et falso Alcidamanti tribuitur, haec leguntur: *Ἀλέῳ γὰρ τῷ Τεγέας βασιλεῖ ἀφικομένῳ εἰς Δελφοὺς ἐχρήσθη ὑπὸ τοῦ θεοῦ, ὅτι αὐτῷ ἔκγονος ἐκ τῆς θυγατρὸς εἰ γένοιτο, ὑπὸ τούτου δεῖν τοὺς υἱοὺς αὐτοῦ ἀπολέσθαι.* Nam ex hoc oraculo recte concluditur Telephum aliquo modo causam fuisse mortis cognatorum (Vater l. l. p. 12). Cum his si comparamus, quae de Telepho parricidio inquinato supra exposuimus, constare iudicamus fuisse, qui Alei filios a Telepho interfectos esse traderent. Atque Aleadarum necem ab Sophocle fabula, de qua agimus, tractatam esse Vaterus optime coniecit. Quod ut comprobemus, fragmenta contemplemur.

Primum Aelianus cum eis, qui cervae esse cornua negant, dissentire tradit Sophoclem in Aleadis dicentem (Dind. 110):

Νομάς τέ τις κεροῦσσ' ἀπ' ὀρθίων πάγων
καθεῖρπεν ἔλαφος

et *ἄρασα μύξας . . καὶ κερασφόρους*
στόρθυγγας εἷρφ' ἔκηλος,

quae ad cervam Telephum nutrientem pertinere cum ex eis, quae a permultis scriptoribus de eius infantia traduntur, tum ex Pollucis loco apparet (V. 76) *καὶ Ἀνακρέων μὲν σφάλλεται κερόεσσαν ἔλαφον προσειπὼν καὶ Σοφοκλῆς τὴν Τηλέφου*

τροφόν. In fabula igitur aliquis narrat Telephum in monte Parthenio expositum cerva nutritum esse. Deinde frg. 108 (Dind.) de notho filio dicitur:

> Ὁ δὴ νόθος τοῖς γνησίοις ἴσον σθένει.
> ἅπαν τὸ χρηστὸν γνησίαν ἔχει φύσιν.

qui de se ipse dicit (107 Dind.):

> Παῦσαι· καταρκεῖ τοῦδε κεκλῆσθαι πατρὸς,
> εἴπερ πέφυκά γ'· εἰ δὲ μή, μείων βλάβη.
> τό τοι νομισθὲν τῆς ἀληθείας κρατεῖ.

Hunc esse Telephum ex totius fabulae contemplatione sequitur. Nam Telephum Auge, Alei filia et Neaerae, ab Hercule compressa peperit et ob eam causam a patre Nauplio tradita est, ut in mare deiceretur, filius eius expositus in monte Parthenio, ubi nutritus a cerva invenitur a pastoribus et educatur. Nonne verisimile est enm postea originem suam comperisse? Atqne etiam frg. 109 optime qnadrat ad nothi condicionem, cui pauperi inimici divitiis nixi maxime obversantur. Ergo fragmentis probatur Telephum adulescentem in fabula personas egisse. Quam rem si cum titulo tragoediae et eis, quae de Aleadarum nece et Telepho eorum interfectore tradita sunt, coniungimus, apud Sophoclem ab Telepho Alei filios occisos esse nobis persuademus. Etenim recte Welckerus contendit etiam apud Sophoclem non posse cogitari nisi de Telepho interfectore. Nam primum Telephi parricidium, quod etiam ab Aeschylo commemorari supra vidimus, fabulae antiquioris proprium fuisse mihi videtur, qnod non liceret commutari a poëta tragico; deinde oraculum Aleo datum, quod Pseudoalcidamas tradit, apud Sophoclem magni momenti fuisse mihi persuasum est, etsi recte ostendit Vaterus Welckerum nimium tribuere rhetoris loco ad fabulam restituendam. Nam hoc quidem certum est, unicam rem, quae de Telephi infantia nobis nota est ex fragmentis, dissentire ab eis, quae ille narrat, cum apud eum filius cum matre in Mysiam deportetur. Itaque in universum recte Vaterus (Rhesus p. 288) de Sophoclis Aleadis statuendum iudicat: 'cum Aleo deus respondisset filios suos ab Anges filio interfectum iri, videtur Palladis fecisse sacerdotem eamque poenas maximas minatus vetuisse viro nubere. Sed compressa est ab Hercule

ebrio. Gravidam tradiderit Aleus Nauplio in mare demergendam. In itinere vero pepererit Telephum in monte Parthenio. Quo relicto et a cerva nutrito, ipsa pervenerit ad Teuthrantem a Nauplio tradita. Tum post interfectos Aleadas etiam Telephus in Mysiam venerit'. Hanc fabulae viam Sophocles secutus esse videtur. Qua re exposita videamus num de fabulae argumento accuratiora discamus. Atque nulla fabulae commemoratione adiuvamur, ut tantum, quod ex fragmentis concludatur, paucis tractandum sit. Primum scaenam fabulae fuisse Tegeam ex re ipsa sequitur, chorum fuisse incolas Tegeae mihi recte conclusisse videtur Welckerus (p. 413) ex fragmento 105 (Dind.):

> κοὐκ οἶδ' ὅ τι χρὴ πρὸς ταῦτα λέγειν
> ὅταν οἵ τ' ἀγαθοὶ πρὸς τῶν ἀγενῶν
> κατανικῶνται,
> ποία πόλις ἂν τάδ' ἐνέγκοι;

quae verba pronuntiasse chorum in extrema parte tragoediae, postquam a Telepho occisi sunt Aleadae, verisimile est. Primas partes Telephum adulescentem egisse efficitur et ex ea re, quod de certamine inter nothum et legitimos filios habito totam fabulam compositam esse apparet ex frgg. 106. 107. 108. 109 et ex eo, quod ab Telepho Aleadae occiduntur. Haud scio an ad Telephi diverbium et senis, a quo educatus est, pertineant
frg. 100: κακὸν τὸ κεύθειν κοὐ πρὸς ἀνδρὸς εὐγενοῦς.
frg. 102: ὦ παῖ σιώπα· πολλ' ἔχει σιγὴ καλά.
frg. 104: μὴ πάντ' ἐρεύνα· πολλὰ καὶ λαθεῖν καλόν.

Sed quomodo singula composuerit Sophocles explicari posse vix putaverim, cum fragmentis plerisque res generales et monita moralia contineantur. Vaterus et Welckerus conati sunt singula fragmenta accuratius distribuere atque res et probabiles et plane incertas protulerunt.

Sequitur ut, quae de Mysis comperta habeamus, paucis exponam (cf. Welcker, griech. Trag. p. 414 sq. Dind. frg. 358—368. Nauck 372—382). Fragmentorum maior pars eiusmodi est, ut fere nihil de fabulae argumento ex eis concludatur. Sed ex verbis, quae Strabo servavit (360 Dind.):

> Ἀσία μὲν ἡ σύμπασα κλῄζεται, ξένε,
> πόλις δὲ Μυσῶν Μυσία προσήγορος.

videmus hominem peregrinum in Mysiam advenire, ab incola aliquo quaerere, ubinam sit, haec verba responsi loco accipere. Verisimile est ea desumpta esse ex initio fabulae, ab aliquo dicta Telepho vel eius comiti. Neque enim recte Welckerum iudicare pluralem ξένοι poni oportere, si famulus Telephum comitatus quaerat, suo iure Vaterus monet (Rhes. p. 297). Itaque certum est fabulae locum fuisse Mysiam, chorum Mysos, peregrinum advenire terrae ignarum. Etiam hoc extra dubitationem esset Telephi adventum repraesentari, si Aristotelis locus cum Bergkio ad Sophoclem recte traheretur. Sed supra ostendimus probabilius esse a philosopho Aeschylum significari (cf. p. 13). Tamen verisimillimum est hoc fuisse fabulae Sophocleae argumentum. Praeterea festum aliquod celebrari vel enarrari videmus ex frg. 361:

πολὺς δὲ Φρὺξ τρίγωνος ἀντίσπαστά τε
Λυδῆς ἐφυμνεῖ πηκτίδος συγχορδία.

et 362: ψαλίδας, τιάρας καὶ σισυρνώδη στολήν.

Omnes horum versuum voces ad mores Asiaticos spectant. Haec de Sophoclis Mysis tradita sunt. Ut accuratius definiatur argumentum, Hygini suspicatur Welckerus fabulam centesimam, quae inscribitur Teuthras, ad Sophoclis drama redire. Qua in re non assentior homini doctissimo, quia posteriori aetati tribuendam esse fabulam infra ostendam.

Praeterea apud Hesychium ad vocem ἀειφόρος legimus ἀειθαλής. Σοφοκλῆς Τηλέφῳ. De Telephi fabula cum nihil praeter hoc verbum audiamus, Welckerus coniecit eandem esse fabulam Telephum atque Mysos, quae coniectura Dindorfio probabilis videtur esse. Sed quod de nonnullis fabulis fere nihil traditum est et etiam de Aeschyli Telepho perpauca servata sunt, mihi haud improbabile videtur Sophoclem, quid Argis accidisset Telepho, tractasse Telephi fabula. Potuit sane et Aeschyleae et Sophocleae fabulae fama Euripidis Telephi splendore obscurari.

§ 7. Euripides.

Quoniam de tragoediis ab Aeschylo et Sophocle ex Telephi fabula petitis egi, ad ea, quae de Euripidis Auga et Telepho explicanda sunt, venio. Atque primum quidem de Auga dicam.

Fragmenta composuerunt Dindorfius (267—283) et Nauckius (267—283). Cum eis, quae exposuerunt Welckerus, Gr. Trag. p. 763 sq., Hartungius, Eurip. restitutus II p. 383 sq., Iahnius. Telephos und Troilos p. 52 sq., conferantur imprimis Wilamowitzii Analecta Euripidea p. 186 sq. Uno tantum loco aliquid de fabulae argumento dicitur. Ad Aristophanis Ranarum versum 1080, ubi musae Euripideae impudentiam castigans poëta dicit:

ποίων δὲ κακῶν οὐκ αἴτιος ἐστ';
οὐ προαγωγοὺς κατέδειξ' οὗτος
καὶ τικτούσας ἐν τοῖς ἱεροῖς et qu. s.

scholium recens scriptum est[1]): ἔγραψε γὰρ τὴν Αὔγην ὠδίνουσαν ἐν ἱερῷ, quod ad Augam fabulam, non ad Telephum pertinere videmus, si comparamus cum prologi Telephi verbis (697 Dind.) ξύνοιδ' ὄρος

Παρθένιον, ἔνθα μητέρ' ὠδίνων ἐμὴν
ἔλυσεν Εἰλείθυια.

Ceterum recte Iahnius (l. l. p. 52) mihi videtur negasse ex verbis Aristophanis effici in ipsa scaena Augam parturire. Verum si ex eis nihil concludit nisi hoc in fabula commemorari, id certius sic definiverim, ita rem commemorari, ut magnum momentum ei tribuatur et ex Auge parturiente in sacro aliquo modo pendeat actio. Nam si aliter res se habet, non prorsus aptus Aristophanis iocus. Itaque ex hac re concludimus Augen ab Hercule compressam parturientem et ob id poenam dantem in fabula primas partes egisse, non advenientem in Mysiam. Nam si titulum spectamus et fabularum conexum, hoc per se ferri iudicamus.[2]) Sed omnis deletur dubitatio, si fragmenta accurate contemplamur. Apud Clementem Alexandrinum (Strom. VII, p. 841) legimus εὖ δὲ καὶ ἡ Αὔγη δικαιολογουμένη πρὸς τὴν Ἀθηνᾶν ἐπὶ τῷ χαλεπαίνειν αὐτῇ τετοκυίᾳ ἐν τῷ ἱερῷ λέγει·

σκῦλα μὲν βροτοφθόρα
χαίρεις ὁρῶσα καὶ νεκρῶν ἐρείπια

[1]) In codice Parisino 2821 legitur (Nauck l. l. p. 347) τικτούσας μὲν ἐν τοῖς ἱεροῖς, ὡς ἡ Αὔγη ἡ θυγάτηρ Ἀλέου ἱέρεια οὖσα Ἀθηνᾶς ἐν τῷ ἱερῷ γεννᾷ τὸν Τήλεφον.

[2]) Iahn, Telephos und Troilos, p. 47. Schirmer in Roscheri lex. mythol. s. v. Αὔγη, p. 729 sq.

κοὐ μιαρά σοι ταῦτ᾽ ἔστιν· εἰ δ᾽ ἐγὼ ἔτεκον
δεινὸν τόδ᾽ ἡγεῖ;

His igitur versibus eisque, quae Apollodorus (II, 7, 4. III, 9, 1) tradit, videmus Minervam iratam propter sacrum partu inquinatum scelus sacerdotis vindicasse vel prodigio aliquo vel morbo in terram immisso. Contra Wilamowitzius (l. l. p. 187) Augam iudicat propter infantem Minervae ira detectum deae obiurgare; atque ita quidem argumentatur: 'Minervae ira aliquid efficere debebat; poterat aliud aut certe aptius quam sacerdotis furtum patefacere?'. Sed adversus hanc argumentationem hoc unum moneo verba illa dici posse, postquam dea prodigio aliquo iram expresserit, sed antequam infans parvulus detegatur. Optime enim fingeret poëta hac re territam Augen et ne apertum fieret scelus veritam precari et deam incusare, quod ita rem haud dignam magna poena ulcisceretur. Hoc fieri in Auges longa oratione et propter Clementis verba δικαιολογουμένη πρὸς τὴν Ἀθηνᾶν verisimile est et mori Euripideo maxime accommodatum.[3]) Atque id ipsum, quod scelus contra leges antiquo usu sancitas commissum causis callide excogitatis refutare conatur poëta per Augen, Aristophanes loco supra allato illudit. Deinde versus apud Stobaeum servatos (Dind. 267)

νῦν δ᾽ οἶνος ἐξέστησέ μ᾽· ὁμολογῶ δέ σε
ἀδικεῖν, τὸ δ᾽ ἀδίκημ᾽ ἐγένετ᾽ οὐχ ἑκούσιον.

pertinere ad stuprum ab Hercule Augae oblatum cum apertum sit, ex eis conclusum est aut ipsum Herculem Telephi patrem in scaenam prodiisse[4]) aut Augen ea locutam esse Herculis verba referentem.[5]) De qua re infra suo loco dicam quid iudicem. Fragmentis 278 et 279 (Dind.)

γυναῖκές ἐσμεν· τὰ μὲν ὄκνῳ νικώμεθα,
τὰ δ᾽ οὐκ ἂν ἡμῶν θράσος ὑπερβάλοιτό τις.

[3]) Clemens ita pergit: καίτοι καὶ τὰ ἄλλα ζῷα ἐν τοῖς ἱεροῖς τίκτοντα οὐδὲν ἀδικεῖ, Ad haec Fritzschius: 'Ultima Clementis sunt, non, ut Sylburgio videbatur, Euripidis. Sed quaeritur, numne sensum proximorum Euripidis versuum exprimant.'

[4]) Fritzschius, ranarum comment. p. 348. Wilamow. l. l.

[5]) Matthiae ad frg. Welcker l. l. Raoul-Rochette, choix de peint. p. 98, adn. 5. Iahn. l. l.

et ποῖ; πῶς δὲ λήσει; τίς δὲ νῷν πιστὸς φίλος;
ζητῶμεν· ἡ δόκησις ἀνθρώποις κακὸν
καὶ τοὐπιχειρεῖν γ' ἐξαμαρτάνειν φιλεῖ.

docemur de feminarum duarum colloquio, quae aliquod conatum periculosum perficere sibi proposuerunt. Quarum alteram Augen esse certum est, alteram eius nutricem verisimile. Nam apud poëtas tragicos, maxime apud Euripidem, nutrices feminas nobiles comitantur, nutrices suadent omnia, amatoribus favent, callida excogitant. Atque si quaerimus quidnam agitaverint Auge et nutrix, duae res se praebent, primum ut infantem modo natum exponerent, tum ut fuga patris iram vitaret sacerdos.[6]) Utrumque enim de Auge a posterioribus scriptoribus traditur. Atque si perlustramus omnes mythographorum narrationes, quae de Telephi partu exstant, videmus varias eas esse et inter se contrarias, maximam partem cum fragmentis fabulae Euripideae dissentire. Ex antiquiore aetate nobis servatur Hecataei narratio (cf. p. 11), cui simillimum est, quod Euripidem de Telepho infante finxisse Strabo tradit (XIII p. 615 C): *Εὐριπίδης δὲ ὑπὸ Ἀλέου φησὶ τοῦ τῆς Αὔγης πατρὸς εἰς λάρνακα τὴν Αὔγην κατατεθεῖσαν ἅμα τῷ παιδὶ Τηλέφῳ καταποντωθῆναι φωράσαντος τὴν ἐξ Ἡρακλέους φθοράν, Ἀθηνᾶς δὲ προνοίᾳ τὴν λάρνακα περαιωθεῖσαν ἐκπεσεῖν ἐς τὸ στόμα τοῦ Καΐκου, τὸν δὲ Τεύθραντα ἀναλαβόντα τὰ σώματα τῇ μὲν ὡς γαμετῇ χρήσασθαι, τῷ δ' ὡς ἑαυτοῦ παιδί.* Haec ex Auges fabula petita esse Welckerus, Dindorfius, alii censuerunt. Sed recte Iahnius (l. l. p. 20. 54) id quod Matthiaeus iam vidit (Eur. trag. IX p. 95), accurate explicavit multo verisimilius esse haec ad Telephum pertinere. Nam primum eis versibus, quos Telephi prologi initium esse homines docti viderunt (697 Dind.), optime adiunguntur, cum simplicissima fabulae forma poëtam usum esse illo loco verisimile sit — nimis extensus enim fuisset prologus, si quaecunque in Arcadia sibi accidissent Telephus pronuntiasset —; deinde narratione Straboniana non expleri tragoediam

---

[6]) Haud recte mihi videtur Welckerus iudicare de filio educando feminas consilium inire, quod si de exponendo tantum agerent, non amico opus esset, ipsa nutrix id facere posset. Nam parum compertum habemus de fabula, quam ut hoc contendamus.

a puerperio Auges exorsam apte Wilamowitzius (p. 188) commonefecit, quamquam in fontium inopia res non plane discernitur neque propter brevitatem narrationis multa excidisse excluditur. Denique in extrema fabula a Minerva ex machina ea pronuntiari putemus oportet. Nam quae Augae et Telepho in Mysia acciderunt, in ipsa tragoedia tractata esse non possunt: 'Temporis enim limitibus sana Graecae tragoediae lege flagitatis obstrepunt'. Verum caveamus, ne deum ex machina loqui statuamus, nisi certis cogimur argumentis. Plana autem omnia et perlucida sunt, si Telephum haec enarrare in Telephi prologo iudicamus. Atque ut Apollodori narrationem (II, 7, 4. III, 9, 1, quem Tzetzes sequitur ad Lycophr. 206) paucis attingam, in eo, quod Auge parturit Telephum in Minervae sacro, Aleus pater peste in terram immissa oraculo iussus (*μηνυόντων τῶν χρησμῶν εἶναί τι ἐν τῷ τεμένει τῆς Ἀθηνᾶς δυσσέβημα*) infantem invenit et in monte Parthenio exponit, haud dissentit ab Euripide. Sed nihil additur nisi Augam Nauplio traditam esse vel interficiendam vel vendendam, Telephum a pastoribus inventum educari. Ex quibus nihil omnino concludimus de fabulae conformatione. Nam etiamsi hanc fabulae viam Euripidem ingressum esse probemus, non comperimus qua ratione servati sint Auge et Telephus, utrum in ipsa fabula, quod exspectamus, an extra fabulam, quod deum de machina cecinisse opus est. Itaque cum Apollodori narratione, quam proxime accedere ad fabulam Euripideam ostenditur reliquarum comparatione, nihil de exitu Auges dramatis discamus, videamus num recte iudicaverit Wilamowitzius in narratione apud Mosam Chorenensem exstante Auges ὑπόθεσιν latere. In eius progymnasmatis haec leguntur[7]):

„Dum in Arcadiae quadam urbe festum Minervae celebraretur, cum eiusdem sacerdote Augea Alei filia choreas in nocturnis sacris agitante rem Hercules habuit, qui et huius furti testem reliquit ei anulum. Illa ex eo gravida Telephum peperit, quod nomen ex eventu adhaesit. Iam Augeae pater stupro cognito excandescens Telephum quidem deserto loco abici, ubi is a cerva nutritus est, Augeam autem abysso submergi mandavit; interim Hercules

[7]) Apud Ang. Maium ad Eusebii editionem Mediolanensem p. 294. Meinek., frg. com. V, p. 57. Wilamow., Anal. Eur. p. 189.

ad eam regionem delatus deque re gesta sno ex annlo admonitus et puerum ex se genitum eripuit et parentem ipsam ab instante mortis periculo expedivit'.

Atqne fabulae alicuius argumentum esse hanc narrationem, non haustam ex communi traditione fabularum facile intellegitur. Primum Hercules, ut Angen filiumque servet, nullo alio loco introducitur; deinde verba 'sno ex annlo admonitus' ad *ἀναγνωρισμόν* spectare apertum est; deniqne tota narratio certis temporis terminis circnmscribitur accomodatis fabulae aut tragicae ant comicae. Quam ob rem Meinekius comici poëtae fabulam enarrari censuit. Neque nego omnia ad comoediam optime qnadrare. Et complures poëtas comicos Augas composuisse traditnm est. Eubuli et Philyllii fabularnm fragmenta aetatem tulernnt. Neque vero ab Enripidearnm fabnlarum habitn abhorrere narrationem Wilamowitzius contendit. Nam inter posterioris aetatis fabulas fuisse Augen concludimns ex versu

ἀδικεῖν· τὸ δ' ἀδίκημ' ἐγένετ' οὐχ ἑκούσιον,

quo semel anapaestus, bis tribrachys adhibeatnr. Deinde nihil impedire, quominus cum Welckero tetralogiae quartam fabulam fuisse pntemus. Haec homini docto concedenda esse puto; atqne hoc qnidem certum est, cum Mosis narratione fragmenta minime repugnare. Sed videndum est, quibus causis firmaverit Wilamowitzius coniecturam. Primum ex fragmento 267 (cf. p. 26) concludit ipsum Herculem personas egisse, neqne nego Matthiaei sententiam supra allatam Angen illa verba referre in prologo ex Herculis ore accepta, habere aliquid miri atque quaesiti; sed etsi Wilamowitzii sententiam magis probabilem esse concedo, tamen prorsus excludi Matthiaei sententiam nego, quod in prologo poëta tragicus hac re uti poterat, ut spectatoribus quae antecessissent, manifeste proponeret. (cf. Ion. 19 sq.) Itaque huic rei non multum tribuo ad probandum fabulae argumentum. Deinde corruptum esse, quod apud Hesychium legimus '*κέρας ὄρθιον· ἡ νευρά· Εὐριπίδης λέγει Αὔγῃ*'[8]) Wilamowitzius

[8]) Traditum est codice *κέρας ὄρθιον ἢ νευρὰ Εὐριπίδης δὲ αὔγην*, quae, postquam Musurus *ἐν Αὔγῃ* pro *δὲ αὔγην*, Meinekius *ἡ* pro *ἢ* scripserunt, ita M. Schmidtins correxit, ut supra legimus. Nauckius *δὲ Αὔγῃ* scribit, locum mutilum esse indicat.

cum censeat, in voce νευρά latere putat νεβρόν, significari cervam cornutam, Telephi nutricem. Sed eam nominari etiam si Welckeri sententiam secuti Minervam futura cantare putamus, verisimile est. Tum Aeliani locum affert Wilamowitzius ibique laudatum Euripideum versum ad Herculem Telephum parvulum in ulnis tenentem spectare putat. Quod ut uum recte sit iudicatum quaeramus, Aeliani verba affero (Var. hist. XII, 15): *τὸν Ἡρακλῆ λέγουσι τὰς ἐν τοῖς ἄθλοις σπουδὰς διαναπαύειν ταῖς παιδιαῖς· ἔπαιζε δὲ ἄρα ὁ Διὸς καὶ Ἀλκμήνης μετὰ παιδίων πάνυ σφόδρα. τοῦτό τοι καὶ ὁ Εὐριπίδης ἡμῖν ὑπαινίττεται ποιήσας τὸν αὐτὸν τοῦτον θεὸν λέγοντα· παίζω· μεταβολὰς γὰρ πόνων ἀεὶ φιλῶ· λέγει δὲ τοῦτο παιδίον κατέχων.* Quae si perlegimus et contemplamur, quae similia de aliis viris postea affert Aelianus, verisimilius videtur esse Herculem ex laboribus conquiescentem cum puero pulchro ludere quam infantem parvulum paulo ante natum tenere. Sed concedo Wilamowitzio vix alii fabularum Euripidearum aliqua cum probabilitate hoc tribui. Atque cum postea Hercules saepissime ab artificibus, iam regum Pergamenorum aetate, repraesentatur Telephum parvum in ulnis tenens vel aspiciens a cerva nutritum, hanc rem a poëta nobilissimo narratam esse recte statuitur. Nullo autem veteris scriptoris loco praeter hanc narrationem Telephum a patre Hercule inventum et a periculo liberatum esse traditur. Si igitur ex fabula, cuius argumentum legimus apud Mosem, pendere censemus posteriorum artificum opera, probabilius est hanc fuisse tragoediam quam comoediam. Nullius autem poëtae tragici opera plus valuisse ad fabulas conformandas tradendasque artificibus quam Euripidem inter omnes constat. Quam ob rem considerantes horum simulacrorum et Aeliani loci conexum nobis persuademus hac re aliquantum probari Wilamowitzii coniecturam. Sed si homo doctus iudicat in Mosis narratione Euripidem eo manifestari non ambigue auctorem, quod Telepho nomen ex eventu adhaesit, hoc recte observatum esse cum concedam atque firmatum exemplorum magno numero, tamen huius argumenti vis minuitur eo, quod etiam ab aliis scriptoribus, qui aliter rem referunt, hoc etymon commemoratur.[9])

[9]) Iam Iahnius (Tel. n. Troil., p. 57) suspicatus erat Euripidem etymi esse auctorem. cf. Etymol. magn. 756, 54.

Nam apud Apollodorum legimus (III, 9, 1, 4): θηλὴν ὑποσχούσης ἐλάφου Τήλεφος ἐκλήθη, et apud eundem (II, 7, 4, 3) θηλὴν μὲν γὰρ ἀρτιτόκος ἔλαφος ὑπέσχεν αὐτῷ, ποιμένες δὲ ἀνελόμενοι τὸ βρέφος Τήλεφον ἐκάλεσαν αὐτόν, et apud Diodorum (IV, 33) Κόρυθος παραλαβὼν τὸ παιδίον . . . προσαγορεύσας Τήλεφον ἀπὸ τῆς τρεφούσης ἐλάφου.

Narrationem Mosis ad fabulam notissimam atque celeberrimam pertinere probatur poëtarum Romanornm locis ab Roberto allatis (Annali dell' Inst. 1884 p. 82), quibus in festo Minervae celebrato Ange compressa esse dicitur, qnod cum nulla nisi hac narratione consentit. Apud Statium enim (Silv. III, 1, 40) Hercules appellatur:

Pacatus mitisque veni; nec turbidus ira
Nec famulare timens; sed quem te Maenalis Auge
Confectum thiasis et multo fratre madentem
Detinuit (cf. Silv. IV, 6, 52)

et in Senecae Hercule Oetaeo nutrix dicit Deianirae:

(366) Arcadia nempe virgo, Palladios choros
Dum nectit, Auge, vim stupri passa excidit
Nullamque amoris Hercules retinet notam.

Etiam his verbis mihi magis probari videtnr tragoediae esse argumentum quam comoediae.

His expositis Wilamowitzii coniecturam, quamquam singnlae causae ab homine docto allatae dubitationibus obnoxiae sunt, probabilem esse censeo.

Praeterea Wilamowitzins (l. l. p. 190) versus septem cum Electrae abiudicet, in Auge locum habuisse censet, tribuendos autem esse Auges et nutricis diverbio, de quo supra dixi. Quod num recte iudicatum sit ut intellegamus, Electrae locum contemplemur. Orestes postquam comperit agricolam pauperem, cui in matrimonium data est Electra ab Aegistho, ne patris Agamemnonis laederet memoriam neve poenas daret Oresti fratri, neque attigisse sororem et omni modo sortem illius miseram sublevare, et ab eo laeto, quod domini filium vivere sibi renuntiasset, quamvis paupere invitatur, miratus hominis pauperis virtutem de hominum moribus philosophatur atque signa

certa, quibus homo bonus dignoscatur, esse negat (v. 367 sq.). Ex qua oratione duas versuum series eicit Wilamowitzius (373—379 et 386—390), quae non accomodentur conexui sententiarum. Sed considerans versus causam non video cur aliquid deleamus. Atque postquam, quae primum dicit Orestes, Wilamowitzius probavit 'non esse signum, quo bonum virum dignoscas, cum naturae hominum certa norma distingui nequeant, neque enim cum sanguinis nobilitate neque cum divitiis parta animi nobilitatem coniunctam esse' sese perspicere negat, quid quae sequuntur, hoc loco posita sibi velint. Neque vero intellego, cur ineptum sit Orestem, cum quae certissima signa boni hominis esse videntur primo aspectu, sanguinis nobilitatem et divitias, fallere viderit, quaerere quo tandem signo utendum sit. Et si porro Wilamowitzium offendit, quod iterum divitiae commemorantur et improbantur tamquam fallax signum, ita eas commemorari iudico, ut antea de eis dictum esse concluderemus, etiamsi verba antecedentia non tradita essent. Etenim cum causa infra addatur cur paupertate, cur laude bellica decipiamur in hominum virtute dignoscenda, ad interrogationem *πλούτῳ;* solum id respondetur

πονηρῷ γ' ἆρα χρήσεται κριτῇ,

tacite enim supplentur, quae ante legimus (*ἤδη εἶδον* —)

λιμόν τ' ἐν ἀνδρὸς πλουσίου φρονήματι
γνώμην δὲ μεγάλην ἐν πένητι σώματι.

Quod significari puto particula *ἆρα*, quam hoc loco conclusivam esse apparet.[10]) Quae sequuntur huc omnino quadrare Wilamowitzius negat; sed potest Orestes se convertere contra eos, qui propterea, quod nobilitas et divitiae fallunt atque adeo vitia efficiunt, temere concludunt virtutem in paupertate positam esse. Hoc significatur interrogatione *ἢ τοῖς ἔχουσι μηδέν;* ad quam optime respondetur: *ἀλλ' ἔχει νόσον πενία, διδάσκει δ' ἄνδρα τῇ χρείᾳ κακόν.*[11]) Duo proximi versus nescio an nullo detrimento desiderentur; sed haud inepti sunt hoc loco, quod

---

[10]) cf. Kühner., Gr. Gramm. II, 856, 1 cum 721 adnot. 1.

[11]) De verborum structura cf. quae H. Weilius (sept trag. d'Eurip.) ad hunc locum adnotat.

iis novum additur signum fallax eoque verisimilius fit ipsum sese interrumpere Orestem hisce verbis:

κράτιστον εἰκῇ ταῦτ' ἐᾶν ἀφειμένα,

quibus desperare sese exprimit aliquo certo signo dignosci hominis virtutem et quasi repetit quae initio dicit: οὐκ ἔστ' ἀκριβὲς οὐδὲν εἰς εὐανδρίαν. Atque ut ad cogitationum initium rediit, rursus ei in mentem venit pauperis illius hominis atque boni, unde initium ceperat tota contemplatio. Itaque pergit οὗτος γὰρ ἀνὴρ οὔτ' ἐν Ἀργείοις μέγας et qu. s. Hoc modo mihi sententiarum conexus, qui satis liber est, certis et severis regulis non constrictus, explicari videtur. Et si praeceptum, quod exprimitnr verbis:

τῇ δ' ὁμιλίᾳ βροτοὺς
κρινεῖτε καὶ τοῖς ἤθεσιν τοὺς εὐγενεῖς;

cum versu 379 haud concinere iudicat homo doctus, eadem fere mihi videtur interesse dissensio cnm initio orationis: οὐκ ἔστ' ἀκριβὲς οὐδὲν εἰς εὐανδρίαν. Sed ea cxplicatur ex contemplandi ratione. Bene enim Weilius (sept trag. d' Eurip., p. 602): „Euripide engage les hommes à juger de la vertu de leurs semblables non sur de vaines apparences, mais d' après leur conduite et leur vie tout entière.“ Quas ob causas hos versus ab Euripide ipso in Electra positos esse puto.[11b]) De versibus seqnentibns, qui mihi genuini videntur esse, mitto accuratius agere; hoc unum contra Wilamowitzii sententiam affero recte a Weilio, quid significaret οἱ γὰρ τοιοίδε explicatum esse verbis οἱ τῇ ὁμιλίᾳ καὶ τοῖς ἤθεσιν εὐγενεῖς κριθέντες, les hommes vraiment nobles. His expositis pauca addam de Laertii Diogenis verbis (II, 33): Εὐριπίδου δ' ἐν Αὔγῃ εἰπόντος περὶ ἀρετῆς

κράτιστον εἰκῇ ταῦτ' ἐᾶν ἀφειμένα

ἀναστὰς (Socrates) ἐξῆλθε, φήσας γελοῖον εἶναι ἀνδράποδον μὲν μὴ εὑρισκόμενον ἀξιοῦν ζητεῖν· ἀρετὴν δ' οὕτω ἐᾶν ἀπολωλέναι. His apparet eum, qui finxit historiolam a Diogene repetitam, non ad hunc tantum versum respicere sed maiorem scriem versuum de virtute compositam, cuius in calce hic positus erat. Atque perlegenti Orestis orationem mihi non dubium videtur,

[11b]) 'Garrnlitatem' illam Euripideam ab Aristophane vituperatam si quis in iis conspicuam esse dicat, non valde repngnem.

quin ille non modo versus a Wilamowitzio Augae tributos, sed etiam antecedentes legerit, primum praecipue οὐκ ἔστ᾽ ἀκριβὲς οὐδὲν εἰς εὐανδρίαν. Itaque errore Diogenis aut eius, a quo rem petivit, Augae nomen pro Electrae positum esse mihi persuasum est. Quae cum ita sint, cum Weckleinio (annal. philol. 113 p. 727) reicio Wilamowitzii coniecturam.

Sed redeo ad Augen. Aliquo modo adiuvamur in fabula restituenda urnae Etruscae ectypo, quod ad Telephi infantiam spectare acute ostendit Iahnius.[12])

His expositis, quae de fabulae argumento probabilia mihi videantur, paucis explicabo. Scaena est Tegeae ante templum Minervae. Auge ipsa prologum locuta esse videtur atque narrasse sibi choros in nocturnis sacris agitanti (Mos. Chor. — Sen.) stuprum obtulisse Herculem vino oneratum, anulum sibi reliquisse, quo agnosceretur. Matthiaei sententiam si sequimur, hoc loco ponere debemus verba, quibus excusat iniuriam sacerdoti illatam Iovis filius. Ex Wilamowitzii sententia posteriori dramatis parti tribuenda sunt.

νῦν δ᾽ οἶνος ἐξέστησέ μ᾽· ὁμολογῶ δέ σε
ἀδικεῖν, τὸ δ᾽ ἀδίκημ᾽ ἐγένετ᾽ οὐχ ἑκούσιον.

Tum infantem se in deae sacro peperisse refert eodemque loco occultavisse, ne a patre Aleo deprehenderetur, Minervam autem iratam prodigiis vel peste sacerdotis scelus vindicasse. Aleum et Tegeatas perterritos prodigiis deae iram sacrificiis sedare studuisse (270)

καὶ βουθυτεῖν γὰρ ἠξίους ἐμὴν χάριν,

neque vero quidquam eis effecisse Minervae obicit. Tandem oraculo Aleum didicisse in ipso templo latere, quo deae ira mota esset. Qua re Auge deam graviter incusat, quod, cum ipsa belli exuviis gaudeat, infante in templo deposito violetur (frg. 268). Atque verita, ne infans a patre sacrum perscrutante inveniretur, cum nutrice deliberat, quo modo filium ab avi ira defendat. Ex hoc diverbio esse duo fragmenta supra vidimus, 278 et 279, quorum ex altero, quod distribuit Engerus (Rhein. Mus. N. F. XXIII pag. 687),

Αυ. ποῖ; πῶς δὲ λήσει; τίς δὲ νῷν πιστὸς φίλος;

[12]) Teleph. u. Troil., p. 54 sq. cf. infra.

Τροφ. ζητῶμεν· ἡ δόκησις ἀνθρώποις κακόν.
Αυ. καὶ τοὐπιχειρεῖν γ' ἐξαμαρτάνειν φέρει,

id agere videmus feminas, ut amicum fidelem inveniant, cui infantem tradant. Augen calamitate perturbatam consolatnr nutrix einsque animnm erigere studet. Sed ipse rex Aleus in templum venit, infantem detegit, nullis filiae precibns commotus neque misericordia affectns nepotis parvuli aspectu

frg. 272 οὐ τῶν κακούργων οἶκτος, ἀλλὰ τῆς δίκης,
frg. 274 τίς δ' οὐχὶ χαίρει νηπίοις ἀθύρμασιν;

infantem in monte Parthenio exponi, matrem in mare proici iubet. Nauplio hoc mandatnm dare Aleum verisimile est. Nam mandatum Nauplio datum fabnla antiquiore traditum erat; sed non opns erat nominatim appellari eum in fabula, ut in Sophoclis et Euripidis Electris senex ille fidelis, qui Orestem ab Aegistho servavit, nomine non appellatur. Quomodo porro narratio progressa sit, suspicari licet tantum ex Mosis narratione; neque enim ex fragmentis qnidqnam concludi potest. Qua in re hoc nnum pracbet aliquam difficultatem, quod aut conicere cogimur scaenam posterioris partis tragoediae esse montem Parthenium, cum in eo Herculem invenisse filium parvnlnm a cerva nutritum appareat ex simnlacris, aut statuere ab nuntio enarratum esse, qnomodo Hercules infantem in ulnis tennisse, qna cum re non consentit Hercnlem verba fecisse puerulnm tenentem (frg. inc. 856). Qua re efficitur, etiamsi Wilamowitzii coniecturam probemus, certa de fabnlae exitu statui non posse. Sed Herculem Angen ex anulo agnitam servasse videmus. Quam ad rem fortasse spectat frg. 271:

Ἔρωτα δ' ὅστις μὴ θεὸν κρίνει μέγαν
καὶ τῶν ἁπάντων δαιμόνων ὑπέρτατον,
ἢ σκαιός ἐστιν ἢ καλῶν ἄπειρος ὢν
οὐκ οἶδε τὸν μέγιστον ἀνθρώποις θεόν.

Verba adversus regem terrae conversa hand scio an recte tribuerit Welckerus servo Anges fideli (277):

κακῶς ὄλοιντο πάντες, οἳ τυραννίδι
χαίρουσιν ὀλίγῃ τ' ἐν πόλει μοναρχίᾳ·

τοὐλεύθερον γὰρ ὄνομα παντὸς ἄξιον
κἂν σμίκρ' ἔχῃ τις, μεγάλ' ἔχειν νομιζέτω.[13])

Regi dici verba frg. 276 Engerus (l. l.) censet, quae ita scribit:

τὸ δέ γ' ἐπιεικὲς ὠφελεῖ τὰς συμφοράς.

Nauckius (Eur. frg. edit. II p. 63) duo fragmenta incerta haud scio an recte Augae tribuerit; certe ex eis nihil efficitur ad argnmentum explicandnm.

Deinceps ut erat propositum dicendum est de Telepho. Sed antequam adeo ad singula explicanda, qnae de fabula a doctis hominibus composita sunt scripta afferam. Primus Telephi argumentum restituere conatus est Geelius, de Telepho Eurip. comment., annal. inst. Belg. 1830, post quem, cum tractaverunt fabulam Welckerus, griech. Trag. p. 477 sq., Schoellius, Beiträge zur Kenntniss d. trag. Poesie d. Griech. I p. 130 sq., Hartungius, Eurip. rest. I p. 196 sq., optime meruit de tota re explicanda Iahnius, Teleph. n. Troil., Kiel 1841; praeterea fabulae argumentum exposuerunt Wagnerus, poët. trag. Graec. frg. II p. 354 sq., Vaterus, Unters. über d. dramat. Poësie d. Griech., Berl. 1843 p. 53 sq., Ribbeckius, röm. Trag. p. 104 sq., Weckleinius, Sitzungsber. d. Münch. Ak. d. W. 1878 II 198 sq., Vogelius, Scenen Eurip. Trag. in griech. Vasengem., Leipz. 1886, p. 88 sq. Fragmenta collecta sunt a Dind. n. 697—727 b et Nauck. 697—727. Sed si perlegimus, quae coniecerunt de fabnlae argumento homines docti, videmus primo aspectu valde diversa ab eis prolata esse. Hoc in fontium natura positum est. Nam ex nonnullis fragmentis fere nihil de actione concluditur, atque qnae praeterea de fabula traduntur, partim tenuia sunt, partim non sine dubitatione ad Euripidem referuntur. Quam ob rem, ut certa, quae ex eis efficiantur, dignoscamus, singula, quae nobis tradita sunt, perlustrabimus, conabimur aliquas quaestiones dubias, sed in argumento restituendo haud spernendas diiudicare, deinde nixi hac explicatione restituere quantum licet fabulae argumentum.

---

[13]) cf. Cic. Tuscul. IV, 32. 68; Ribbeck., com. Rom. frg., p. 76. De frgg. 271 et 277 egit Engerus (Rh. Mus. XXIII, p. 687); frg. 271 versum alterum in fine posuit collato Athenaei XIII, 600, ubi vv. 1. 3. 4 servata sunt, suo iure, ut mihi quidem videtur; pro ὀλίγῃ μοναρχίᾳ (277, 2) coniecit ἄλλῃ μοναρχίᾳ.

Telephi fabulam ab Euripide doctam esse anno 438 docemur argumento Alcestidis, ubi haec scripta sunt (Dind., poët. scaen., p. 13): ἐδιδάχθη ἐπὶ Γλαυκίνου ἄρχοντος ὀλυμπιάδος πε΄ ἔτει δευτέρῳ. πρῶτος ἦν Σοφοκλῆς, δεύτερος Εὐριπίδης Κρήσσαις, Ἀλκμαίωνι τῷ διὰ Ψωφῖδος, Τηλέφῳ, Ἀλκήστιδι. Eandem fabulae partem, quam Aeschylus tractaverat, fabulae fuisse argumentum et ex fragmentis concluditur (cf. imprimis 697. 709. 721 sq.) et scriptorum posteriorum firmatur testimoniis, ex quibus affero, quae Tzetzes dicit ad Aristoph. Nub. 922 (Herwerdenus in Soph. Oed. reg. p. 214): οἷον πτωχὸν Εὐριπίδης συσκευάζει τὸν Τήλεφον στρατηγὸν ὄντα Μυσίας μετὰ πηρίου ἐλθόντα προσαίτην εἰς τὴν Ἑλλάδα καὶ τῆς Ἀγαμέμνονος αὐλῆς μόλις πυλωρὸν γεγονότα.

Praeter ipsa fabulae fragmenta summi momenti sunt loci Aristophanei, quibus poëta comicus irridet drama Euripidis haud raro ipsius tragici verbis usus.[14]) Et 'Aristophanes nullam tragoediam saepius quam hanc parodia expressit'. Atque si perlegimus locos Aristophaneos, facile eorum duo genera discernimus. Ex quibus altero verba singula tragoediae vel totum dicendi genus illudit, quod ad cotidianae vitae sermonem accessisse videtur [15]) et ob id offendisse animum Aristophanis dictionis Aeschyleae sublimitatem mirati, altero tragoediae argumentum, scaenarum compositionem, personas respicit. De hoc quidem genere nunc dicendum est. Primum ex Aristophanis fabulis comperimus apud Euripidem Telephum mendici habitu sordido et misero in scaenam prodiisse. Qua re gravitatem tragoediae et heroum dignitatem imminui cum censeret Aristophanes, summo studio Telephi personam illudit et Euripidis castigat licentiam. In Acharnensium fabula Dicaeopolis, ut rem ante Acharnenses gerat, ab Euripide pannos in tragoedia aliqua usurpatos petit, quibus indutus misericordiam chori moveat, atque repudiatis Oenei, Phoenicis, Philoctetae, Bellerophontis vestibus dicit (428):

---

[14]) De hac re cf. imprimis Backhuysen, de parodia in comoediis Aristophanis, Traj. ad Rhen. 1877.

[15]) cf. Hor. epist. II, 3. 95.

Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri
Telephus et Peleus, cum pauper et exul uterque
Proicit ampullas et sesquipedalia verba. (cf. v. 104.)

οὐ Βελλεροφόντης· ἀλλὰ κἀκεῖνος μὲν ἦν
χωλός, προσαιτῶν, στωμύλος, δεινὸς λέγειν,

quibus signis statim Euripides agnoscit *ἄνδρα πτωχίστατον* et *οἶδ' ἄνδρα Μυσὸν Τήλεφον* respondet verbis tragoediae usus teste Olympiodoro (frg. 703). Deinde accipit Dicaeopolis *Τηλέφου ῥακώματα* (432), *τὸ πιλίδιον τὸ Μύσιον* (439), *πτωχικὸν βακτήριον* (448), *σπυρίδιον* (cf. Diog. Laert. VI, 87) *διακεκαυμένον λύχνῳ* (453), *κοτυλίσκιον τὸ χεῖλος ἀποκεκρουμένον* (459), *χυτρίδιον* (463). Ex quibus, etiamsi poëta, ut risum moveret, habitum miseriorem depinxerit, quam re vera fuerit, tamen luculenter animis proponimus, quomodo in scaenam prodierit Telephus.[16]) Augetur parodia eo, quod singulas voces atque totos versus ex Telepho aliisque tragoediis petitos huic scaenae Aristophanes immiscuit (cf. Backhuysen l. l. p. 13). De quorum parte suo loco agam. E fragmentis ad Telephi pannos spectant 698. 699. 701. Atque a posterioribus scriptoribus Telephi proprium fuisse habitum mendici traditur. Timocles, poëta comicus, in Dionysiazusis de tragoediae utilitate disserens dicit (Kock. II, p. 453):

τοὺς γὰρ τραγῳδοὺς πρῶτον, εἰ βούλει, σκόπει
ὡς ὠφελοῦσι πάντας. ὁ μὲν ὢν γὰρ πένης
πτωχότερον αὑτοῦ καταμαθὼν τὸν Τήλεφον
γενόμενον ἤδη τὴν πενίαν ῥᾷον φέρει,

quae ad Euripidis Telephum pertinere apertum est. Tum Maximus Tyrius scribit VII p. 126: *ὁ Ἀγαμέμνων τὸ σκῆπτρον φέρει, ὁ βουκόλος διφθέραν, ὁ Ἀχιλλεὺς ὅπλα, ὁ Τήλεφος ῥάκια καὶ θύλακον*, et Pollux IV, 117: *ῥάκια δὲ Φιλοκτήτου ἡ στολὴ καὶ Τηλέφου.*[17])

Deinde ex Aristophane discimus Telephum magnam habuisse orationem apud Graecorum duces, antequam agnosceretur; acute enim Backhuysenus explicavit[18]) tantum esse consensum inter

---

[16]) Telephi habitum respicit Aristophanes etiam Nub. 921:
καίτοι πρότερόν γ' ἐπτώχευες
Τήλεφος εἶναι Μυσὸς φάσκων
ἐκ πηριδίου.

[17]) Confer, quod de Antisthene philosopho Diog. Laert. VI, 87 narrat, et Synes. de provid. p. 106 A.

[18]) l. l. p. 17 sq. cf. Wecklein. l. l. p. 216 sq.; Fritzsche ad Aristoph. Thesmoph. 518.

orationem, quam habet Dicaeopolis in Acharnensibus (496—556), camque, qua in Thesmophoriazusis affinis Euripidis hunc defendere studet (466—519), ut statuere oporteret, 'aut pendere Mnesilochi orationem ab oratione Dicaeopolidis aut fluxisse utramque ex communi fonte'. Nam primum nexus utriusque orationis fere idem est; sicut Dicaeopolis, Lacedaemoniis non omnem belli culpam tribui debere ut demonstret, primum se ipsum quoque illos odisse profitetur (496—512), deinde, ne omnem culpam in illos transferant, sed sibi eam tribuant, populares monet (513—539), tum ipsos non aliter acturos fuisse ac Lacedaemonios, si idem passi essent, ideoque non causam habere, cur illis succenseant, contendit (540—556), ita Mnesilochus qui dicitur muliebri veste indutus, ut Euripidem haud iniuste mulieres castigasse Thesmophoriazusis iratis persuadeat, initio sibi Euripidem odio esse concedit (466—470), tum non falsa esse, quae Euripides dixerit, sed multa omnes mulieres flagitia admisisse contendit (478—517), propterea ut desinant poëtae irasci mulieres adhortatur (518. 519). Huc accedit, quod etiam eadem interdum occurrunt verba in utraque oratione (Backh. p. 18). Atque in Acharnensibus quidem Dicaeopolidis verba pertinere ad Telephi orationem aliquam cum eo probatur, quod grammaticus, qui hypothesin composuit Acharnensium, scripsit καὶ στολισθεὶς τοῖς Τηλέφου ῥακώμασι παρῳδεῖ τὸν ἐκείνου λόγον, tum eo, quod praeter alia ex Telephi fabula petita et prima (496. 497; cf. frg. 701) et extrema orationis verba (555. 556; cf. frg. 711) ad Euripidem spectant.[19]) Et Mnesilochi quoque orationis finis ex dramate Euripideo desumptus est (518. 519; cf. frg. 712). Ex quibus rebus recte mihi conclusisse videtur Backhuysenus Aristophanem in Acharnensium fabula Telephi orationem apud Graecos habitam parodia expressisse eamque in Thesmophoriazusis repetivisse, ut etiam scaenam illam, ubi Telephus cum Oreste infante ad aram confugit, in utraque fabula illudi videbimus. Magnam orationem autem apud Euripidem Telephum pronuntiare et verbis ostenditur, quae Agamemnoni dicit (706):

Ἀγάμεμνον, οὐδ' εἰ πέλεκυν ἐν χεροῖν ἔχων

[19]) Similiter Matthiae iudicavit, Eurip. IX, p. 341.

μέλλοι τις εἰς τράχηλον ἐμβαλεῖν ἐμον,
σιγήσομαι δίκαιά γ' ἀντειπεῖν ἔχων,

ad quae spectant Acharn. vv. 317 sq., 366 sq., 492, et eis, quibus Graecorum duces alloquitur (701):

Μή μοι φθονήσητ', ἄνδρες Ἑλλήνων ἄκροι,
εἰ πτωχὸς ὢν τέτληκ' ἐν ἐσθλοῖσιν λέγειν.

Praeterea apud Aristidem legimus (II p. 19 Diud.): *τὸν δὲ Τήλεφον οὐκ οἴει τὰ αὐτὰ ταῦτα;* ubi scholion exstat (III p. 376): *τὶς τῶν ποιητῶν εἰςάγει τὸν Τήλεφον ἐλέγχοντα τὸν Ὀδυσσέα ἐκ τῶν αὐτῶν λόγων, οὓς πρὸς τὸν Τήλεφον εἶπε.* Quae ad Telephum Euripideum recte a Nauckio relata Backhuysenus (l. l. p. 21) usurpavit ad rem suam probandam. Nam si comparamus ea cum frg. 706, videmus (Wecklein l. l. p. 215) Telephum, cui Ulixes maledixerat, quod cum Graecis dimicasset, coram Agamemnone ei respondisse eisque usum esse argumentis, quibus nixus opprobria ipsi Ulixes fecerat. Atque si porro cum Aristidis verbis *τὸν δὲ Τήλεφον οὐκ οἴει τὰ αὐτὰ ταῦτα,* quae ipsi Telepho a scholiasta tribuuntur, frg. 711 conferimus:

τὸν δὲ Τήλεφον
οὐκ οἰόμεσθα; νοῦς ἄρ' ἡμῖν οὐκ ἔνι,

probabile fit haec ipsius Telephi verba esse, pronuntiata antequam a Graecis agnosceretur. Quae omnia si complectimur animis, nobis persuademus recte a Backhuyseno conici Telephum ignotum Graecis [20]), pannis indutum, coram ducibus Graecorum (Agamemnone et Ulixe) orationem habuisse eiusdem sententiarum nexus, quem utriusque orationis Aristophaneae proprium fuisse supra vidimus, verba ex Telephi fabula petita huic Telephi orationi ascribenda esse (701. 710. 711. 712). [21]) Hoc unum dubium est, quem ad finem progredi liceat in rebus singulis ex Aristophane concludendis. Velut incertum est, num recte hoc a Backhuyseno Telephi argumentationi tribuatur 'aequi sint, nam solos esse, non peregrinos adesse' (p. 20 n. III); perlegentes enim Dicaeopolidis orationem ante 'Mnesilochi' compositam causam invenimus, cur ita Aristophanes argumentetur:

[20]) Hoc eo probatur, quod etiam Dicaeopolis verba facit Telephi pannis indutus, et frg. 701.

[21]) Vaterus, l. l. p. 61, fere idem de his fragmentis iudicavit.

οὐ γάρ με νῦν γε διαβαλεῖ Κλέων, ὅτι
ξένων παρόντων τὴν πόλιν κακῶς λέγω.

Neque enim excluditur hanc orationis partem ita couformasse poëtam, ut Cleonem carperet, quod se in ius vocasset, et retinuisse in Mnesilochi oratioue, quam, etsi scripta est ad Telephi verba illudenda, tameu compositam esse ad Dicaeopolidis exemplum perspicuum est. Sed etiamsi hanc et alias singulas res in dubio ponamus, hoc probamus Telephum loqui 'perinde quasi sit Graecorum aliquis, qui siue ira et studio de hoste iudicare velit'.

Deinde agamus de scaena ab Aristophane bis illusa (Acharn. 326 sq. Thesmoph. 689 sq.), qnam in fabnla Aeschylea fuisse scholio Acharnensium traditur. Sed aliter eam apud Aeschylum compositam esse, quam ut Aristophanem eam respicere putaremus, supra ostendere conatus sum.[22]) Unam repetam causam, ex qua ad Euripidem parodiam poëtae comici pertinere imprimis concludatur. Eandem scaenam et in Acharnensibus et in Thesmophoriazusis illudi cum apertnm sit (cf. Backh. p. 120), Euripidem etiam iu Acharnensibus respici apparet, id quod per se verisimile est, si Thesmophoriazusarum scaenam ad eum pertinere statuimus. Atque recte Backhuyscnus (p. 9) et Vogelius contenduut (p. 93) Aristophanis parodiam non perfectam esse et perspicuam, nisi, qui poëtam defeudat pannis Telephi Euripidei indutus, affinis Euripidis eodem utatur dolo, quo apud Euripidem Telephus se a Graecis defenderit. Quomodo autem scholiastae error evenisset, supra explicavi. Neque eam sententiam infirmari Weckleinii argumentatione (l. l. p. 202 sq.) mihi persuasum est. Qui ut hanc scaenam a fabula Euripidea alienam fuisse demonstret, ex scholiastae verbis κατὰ τὸν τραγῳδοποιὸν Αἰσχύλον coucludit (cum Geelio p. 13), apud Euripidem nihil simile inventum esse. Sed etiamsi cum Vogelio (p. 92) concederemus, vix credibile esse errasse scholiastam in nomine laudando, tamen minime sequeretur ex ea re nisi apud Aeschylum non inveniri hanc scaenam.[23]) Nam cavendum est, ue scholiis nimis fidamus, immo contemplanda ipsius scriptoris verba, quae scholiasta per-

[22]) cf. p. 17 sq.

[23]) Non recte Vogelius (l. l.) iudicare videtur, scholiastam id egisse, ut eum significaret, qui rem invenisset.

saepe parum eruditus interpretari conatur. Deinde Weckleinius scaenam consentire negat cum eo, quod apud Euripidem Telephus mendici pannis indutus in scaenam prodiit. Nam ut apud Aeschylum Oreste de cunabulis rapto sic apud Euripidem eum pannis mendici praesidium sibi comparare. Sed recte Vogelius ex his rebus alteram altera excludi negat. Nam ut vestitu sordido sibi aditum quaerit Telephus ad duces Graecorum, ita Orestem interficere minatur, ut sanationem a Graecis adipiscatur. Tum Weckleinius fragmentorum 727 a et 727 b accurata interpretatione ostendere conatur, his verbis Euripidem artificium ab Aeschylo in dramate usurpatum repudiare. Aristophanes enim in pace Trygaeum dicentem facit Mercurio *ἀπέπτυσ' ἐχθροῦ φωτὸς ἔχθιστον πλέκος* (v. 528), ad quae scholiasta adnotat *ἔστι δὲ Εὐριπίδου ἐκ Τηλέφου ἢ Τληπολέμου τὸ· ἀπέπτυσ' ἐχθροῦ φωτὸς ἔχθιστον τέκος*. Suo iure Weckleinius consentaneum esse negat cum Welckero (Trag. p. 696) haec verba fabulae Licymnio tribuere, pro quo titulo nomen Tlepolemi (cf. Apollod. II, 8, 2, 2) haud exstans inter titulos tragicos positum sit; nam *ἢ Τληπολέμου* additamentum esse recte Meinekius censet (hist. crit. com. Gr. p. 385 not.), quod compendio *Τη*^{λ} male intellecto sciolus adscripsit (cf. Wilam. anal. Eurip. p. 155). Itaque videamus, quomodo in Telephi fabula haec verba collocentur. Atque primum quidem haud dubium est, quin ad Orestem Agamemnonis filium spectent.[24]) Sed cum Iahnius (p. 22) et Ribbeckius (p. 110) Clytaemnestrae esse verba iudicent, quam in dramate aliquas partes egisse multis probatur causis, Weckleinius, quod matri non conveniat filiolum vocibus *ἔχθιστον τέκος* significare, hanc sententiam reicit et Telephi esse verba contendit, quibus poëta fabulam Aeschyleam respexerit atque vituperaverit.[25]) At recte Vogelius monet adversus hanc argumentationem, ne Telephum quidem ita de infante innocenti loqui aptum esse; a Clytaemnestrae autem persona haec verba non abhorrere infra videbimus. Praeterea nimis audacter Weckleinius hunc versum cum vocibus *λοχαῖον σῖτον* coniungit

---

[24]) Haud probabile est, eis Paridem significari a Telepho vel a duce aliquo Graecorum. (Vater l. l. p. 63).

[25]) cf. Phoen. 751 sq. cum Aeschyl. Sept. 375 sq. et Electr. 527 sq. cum Aeschyl. Choeph. 185 sq.

(727, b), quae obscuriora sunt, quam ut aliquid ex eis concluserim. Quoniam igitur vidimus, quas attulit causis non probari Weckleinii sententiam, iterum moneo non dubium esse, quin ad Euripidem, non ad Aeschylum Aristophanes parodiam direxerit. Atque hac re imprimis refellitur Weckleinii sententia.

Dixi de eis, quae ex Aristophane de fabula comperimus; nunc videamus, num aliqua posterioris scriptoris narratione fabulae argumentum traditum sit. Hoc ut diindicemus, narrationes tractabimus, quibus res memorabiles cum eis, quae de Telepho Euripidea aliunde nota sunt, consentiunt, et cum eis comparabimus, quae ad epicam fabulae formam spectant. Atque primum ab eis narrationibus, quas supra attuli, cum de carminibus Cypriis egi (schol. Il. *A* 59. Eustath. 46, 32. Liban. Ἀχιλλ. ἀντιλ. Tzetz. schol. Lyc. 206) in una re eaque gravissima dissentit, quod apud scholiastam Demostheuis legimus de Telepho (ad Demosth. pro cor. p. 248 extr. Reiske, Demosth. ed. Dind. VIII p. 288. cf. Vater l. l. p. 55). Hic postquam Telephum vulneratum ab Achille oraculum accepisse ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται narravit, ita pergit: ἵν' οὖν μὴ ἀπελθὼν πρὸς Ἀχιλλέα γνωσθῇ, λαβὼν σχῆμα πτωχοῦ, ἀπελθὼν εἰς τὴν Ἑλλάδα προσῆλθεν αὐτῷ ὡς πένης ἰάσεως τυχεῖν βουλόμενος. Sed hoc unum tantum cum Euripide consentit. Quae sequuntur Achillis arte medica a Chirone accepta sanatum esse Mysum aperte abhorrent a tragoedia, ubi hastae rubigine sanatio fit (frg. 725). Quod non ab alio poëta tragico inventum esse sed posteriore aetate a nescio quo excogitatum videtur, ut mirum et incredibile imminueretur, 'quoniam tragicae poësi magis conveniebat recondita oraculi sententia' (Geel l. l. p. 5). Videamus nunc, quid de Hygini fabula CI iudicandum sit, quam ad fabulam Euripideam spectare iam Geelius arbitrabatur. Quae quoniam summi momenti est ad rem explicandam totam appono:

Telephus, Herculis et Auges filius, ab Achille in pugna Chironis hasta percussus dicitur, ex quo vulnere cum in dies tetro cruciatu angeretur, petit sortem ab Apolline, quod esset remedium; responsum est ei neminem mederi posse nisi eandem hastam, qua vulneratus erat.[26]) Hoc Telephus ubi audivit, ad

[26]) Maur. Schmidt, edit. Hyg. p. 94: 'vereor ne Hyginus scripserit

regem Agamemnonem venit et monitu Clytaemnestrae Orestem infantem de cnnabulis rapuit minitans se eum occisurum, nisi sibi Achivi mederentnr. Achivis autem quod responsum erat, sine Telephi ductu Troiam capi non posse, facile cum eo in gratiam redierunt et ab Achille petierunt, ut eum sanaret. Qnibns Achilles respondit se artem medicam non nosse Tunc Ulysses ait 'non te dicit Apollo, sed auctorem vulneris hastam nominat'. Quam cum rasissent, remediatus est. A qno cnm peterent, ut secum ad Troiam expngnandam iret, non impctrarunt, quod is Laodicen, Priami filiam, uxorem haberet. Sed ob beneficium, quod eum sanarunt, eos deduxit. Locos autem et itinera demonstravit, inde in Mysiam est profectus.

Quam narrationem si accuratius contemplamur, facile nobis persuademus fabulae alicuius argumentnm ea contineri. Nam si hanc cum eis comparamus narrationibus, quas de Telepho compositas ad carmina epica spectare supra ostendi, primo aspectu videmns, cum illis fusius referatur proelium ad Caicum commissum, paucis attingatur verbis Telephi sanatio, contra apud Hyginum accurate narrari, qua ratione sanationem adeptus sit ab Achille, quomodo Ulixes oraculum illud explicaverit, eis autem anteponi pauca tantum verba, quibus causa, cur in Gracciam venerit Telephus, enarretnr. Quod si perpendimus, facile intellegimus Hygini narrationem certis terminis circumscriptam esse, qui tragoediae Graecae legibus exignntur. Deinde verba 'quibus Achilles respondit e. qu. s.' ad diverbium inter Achillem et Ulixem habitum pertinere, quid verisimilius? Atque nonnullas fabulas Hygini a tragoediis petitas esse Backhuysenus (l. l. pag. 199 sq.) aliique luculenter ostenderunt. Quod si concedimus, quaeritur, nnm certis causis Hyginum ad fabulam Enripideam spectare comprobetur. Verbis 'monitu Clytaemnestrae e. qu. s.' scaena illa significatur ab Aristophane bis illusa, quam in fabula Euripidea locum habuisse supra ostendimus. Et post ea, qnae de Aeschyli fabula dixi atque de ratione, qua ab eo scaena tra-

vulneris auctorem, cuins interpretamentum sit id qnod est 'eandem hastam, qna vnlneratns erat'. Sed etiam alternm oracnlnm, Graecis datum, ita afferri ab Hygino videmns, quasi omnia clara et perspicua sint, cum id obscurum fuisse ex fabulae conexu efficiatur. Qnam ob rem haud commntaverim Hygini verba.

ctata esset, vix dubium mihi est, quin ad Euripideam fabulam pertineant verba 'minitans se eum occisurum', non ad Aeschyleam. Deinde cum fragmentis omnibus optime Hyginus consentit, imprimis cum frg. 725:

πριστοῖσι λόγχης θέλγεται ῥινήμασιν,

quo verba explicantur Hygini per se satis obscura 'quam cum rasissent, remediatus est'. Sed Weckleinius cum concedat (p. 207) propter frg. 725 Hygini fabulam quodammodo ad Euripidem pertinere, eandem rationem inter eam et Telephum Euripidis intercedere censet, quam inter fabulam octavam et Euripidis Antiopam, ubi fabulae finis commutatus sit Euripideae. Item atque illa fabula hac contineri iudicat argumentum fabulae Ennianae ad Euripidis exemplum compositae. Atque Ennii Telephum pendere a dramate Euripideo ostenditur fragmentorum comparatione (cf. Enn. frg. I c. Eur. 698, II c. 701, VI c. 713). In ea autem Clytaemnestram personas egisse concludimus ex frg. VIII:

te ipsum hoc oportet profiteri et proloqui
advorsum illam mihi. (Ribbeck p. 111.)

Neque has partes Ennium de suo vel ex fabula Aeschylea addidisse credibile est (Vogel p. 95), qua re maxime commutatus esset totius fabulae conexus; nam res aliter se haberet in fabula Antiopea, etiamsi recte de ea iudicasset Weckleinius (l. l. p. 182) neque probaremus Grafii sententiam Hygini narrationem ex Graeca haustam esse.[27]) (Ex eo enim explicaretur illa commutatio, quod poëta Romanus, ne nimis recondita spectatoribus praeberet, Amphionem Thebarum regnum statim occupare neque antea Athenas proficisci fingeret.) Huc accedit quod Clytaemnestram aliquas partes egisse non solum in Enniana fabula, verum etiam in Euripidea aliis probatur causis. Primum verbis (frg. 704. Lysistrates v. 706)

ἄνασσα πράγους τοῦδε καὶ βουλεύματος

Clytaemnestram appellari vidit Geelius (p. 17); neque enim probabilis est Weckleinii sententia (p. 206) Telephum illis verbis alloqui ipsius καρδίαν, erigere animum suum, antequam apud duces Graecorum dicat. Nam etsi dubitamus versum

---

[27]) Die Antiopesage bis auf Euripides, 1884 p. 33. 35. cf. Apollod. III, 5, 5. Schol. Apoll. Rhod. IV, 1090.

τί μοι σκυθρωπὸς ἐξελήλυθας δόμων;

cum Valckenario (Diatribe in frg. Eur. p. 210) Telepho tribnere, tamen ex loco Aristophauis verisimile fit Telephum non se ipsum alloqui, sed Clytaemnestram, cuins consilio utatur.[28]) Quid enim aptius qnam eodem versu chorum Lysistraten alloqni in scaenam prodenntem, quo Clytaemuestra exiens e domo a Telepho appelletur (vel a choro, Backh. p. 104)? Praeterea Vogelius recte monet Euripidem in magna tragoediarnm parte feminas in scaenam produxisse atque omnem artem in earum mores depingendos impendisse, ut mirum esset eum Clytaemnestrae animum affectibus perturbatum eiusqne dolos fabulae non inseruisse. Atque eo magis id mirum iudico, cum in reliquis tragoediis, quas una cum Telepho docuit, feminas indnxerit Euripides et accurate mores earum descripserit. In Cressis enim Aëropen videmus cupiditatibns corruptam, in Alcmaeone Alphesiboeam misericordia commotam parricidae nubentem, in Alcestide uxorem fidelissimam pro Admeti vita morientem. Nonne aptissimum in quarta tragoedia Clytaemuestram iu scaenam prodire couiugis ira impletam, paratam eius inimico, quem suum esse oportebat, auxilium praebere? Itaque Schoellinm (l. l. p. 136; cf. Iahn p. 36), etsi haud probabile sit in hac re conexum tragoediarum qnaerere, quod ut Telephum ita Alcmaeonem primas partes egisse verisimile est, in universum rectum vidisse puto. Accedit quod in operibus artificnm, non solum Etruscis sed etiam Graecis, Clytaemnestram videmus se intericientem inter Telephum, qni gladio vitae Orestis minatur, et coniugem, qui destricto gladio in Mysum invehitur. Ex qua re coucludimus magna et eximia tragoedia fabulam ita conformatam fuisse, qnam Euripideam esse omnibus eis rebus, quas exposui, comprobatur. Neque vero signis adiuvamur in ea re discernenda, utrum Clytaemnestra dolum Telepho suaserit an, cnm ipsa iuvita Telephus infantem de cunabnlis rapuisset, coniugem a vi retinnerit, ut filii vitam defenderet. Quocirca cum in restitnendo fabnlae argumeuto non multum tribuam simulacris artificum, personam Clytaemnestrae

[28]) Homo doctns, qui de Weckleinii libro disputavit in ind. philol. (1879 p. 535), Pythiam illis verbis appellari suspicatur. Quod comprobari nullo modo potest.

eis firmari censeo. Reliquum est, ut exponamus, qua re commota Clytaemnestra Telephum, coniugis inimicum, adiuverit atque, ut filium de cunabulis raperet, monuerit. Nam in vitae periculum inductum esse Orestem parvulum apud Euripidem et Aristophanis parodia et simulacra artificum ostendunt. Uxorem autem, ut prodat coniugem, matrem, ut vitam filii mortis discrimini det, gravi iniuria aut sibi allata aut imminente adduci oportet. Itaque Iahnius coniecit (p. 21) Clytaemnestram irasci coniugi, quod filiam Iphigeniam immolasset, Vaterus autem (p. 56) Telephum Clytaemnestrae, cum filia a Calchante postulata esset, cuius immolatione deae ira placeretur, promisisse putat se Graecos Troiam ducturum esse, etiamsi Iphigenia non immolaretur, eaque re sibi ascivisse reginae animum. Sed contra Vateri sententiam affero ita in fabularum conexu constare Iphigeniae immolationem, ut, si Euripides ita fabulam conformasset, omnes spectatores in eo offensuri fuerint, quod ex vano et inani promisso penderet fabulae compositio. Iahnii autem coniecturae repugnat hoc unum, quod in Cypriis carminibus, antequam iterum Graeci Aulide proficiscuntur, Iphigenia immolatur (Kinkel, frg. epic. p. 19). Itaque si probamus viri doctissimi sententiam, ab Euripide rerum gestarum seriem commutatam esse statuimus. Iam vero in eo libro, quem Dictyn, Idomenei comitem, de bello Troiano composuisse prologo fingitur, Iphigeniam ante priorem navigationem immolatam esse narratur. Qui confecit hoc opus quamquam multa aliter rettulit atque antiquis carminibus tradita erant, cum et imitaretur historicos posteriores, imprimis Sallustium, et id ageret, ut veteres fabulas ad similitudinem bellorum suae aetatis referret, tamen ad bonos fontes, imprimis ad Homerum, narrationem redire videmus, si res ab eo narratas cum Philostrati, Tzetzae, Daretis narrationibus comparamus.[24]) Itaque quae de Iphigenia narrat singula cum satis vana sint, hoc eius inventioni non tribuerim, quod ante priorem navigationem Iphigeniam immolatam esse tradit, sed ita fabularum ordinem a scriptore antiquiore commutatum esse putaverim. Atque ex fonte hausisse Dictyn ad Euripidem spectante ex eo efficitur, quod de discordiis inter Agamemnonem et Menelaum exortis refert. Legimus

[24]) cf. Meister, edit. Dict., praef. p. VII. Urlichs Scopas p. 28.

enim (II, 7): 'interim (postquam ex Mysia redierunt Graeci) in eo otio regi Agamemnoni cum Menelao fratre exercere discordias vacuum fuit ob proditam Iphigeniam'. In Telepho Euripidis autem Atridas iurgantes in scaenam prodiisse docemur frgg. 721 et 722, quibus Agamemnon Menelai castigat superbiam. Nonne probabile est, ad illud iurgium spectare Dictyis verba a posteriore scriptore ex dramate Euripideo haustum? Quod si concedimus, probabile iudicamus ad fabulam a poëta tragico conformatam pertinere, quod de Iphigenia immolata audimus., Praeterea in fabula Enniana fingi Iphigeniam immolatam esse antequam Telephus in Graeciam veniret, Ribbeckius frg. V interpretatione ostendit (p. 109). His causis cum probetur Euripidem in Telepho fingere Iphigeniam, antequam Telephus sanationem peteret, a patre immolatam esse, verisimilis videtur esse Iahnii coniectura Clytaemnestram adeo propter filiae mortem iratam esse coniugi, ut inimico eius auxilium praeberet.[30]) Atque mulier superba et iracunda homini peregrino ad vulneris sanationem parandam consilium dat, quo vita filii unici mortis discrimini datur. Ita ira et ulciscendi cupiditate animus eius incenditur, ut, qua re coniugi summum dolorem afferre studet, ea re ipsam maxime tangi non sentiat. Itaque verbis

ἀπέπτυσ' ἐχθροῦ φωτὸς ἔχθιστον τέκος

filii vitam se proditaram esse profitetur. Sed quaeritur, cuinam scaenae fabulae haec verba tribuantur. Ribbeckius (p. 110) haec dicta esse iudicat a Clytaemnestra tum, cum Telephus in ara sedens Orestem se necaturum minatur et pater Agamemnon veritus, ne etiam filio ut ante filia privaretur, exclamat (705):

ὦ Φοῖβ' Ἄπολλον Λύκιε, τί ποτε μ' ἐργάσει;

Rem ita exponit Ribbeckius: 'Vielmehr wird die Spannung der Scene dadurch wesentlich erhöht, dass Agamemnon, welcher der gemeinsamen Sache bereits die Tochter geopfert hat, nunmehr auch den einzigen Sohn scheinbar rettungslos dem Tode verfallen sieht, während Clytaemnestra ihn wenigstens in vorübergehender Angst den Schmerz fühlen lässt, den ihr der wirkliche Verlust der

[30]) Coniecturam probant Hartungius p. 201; Ribbeckius p. 107; Vogelius p. 89.

Tochter verursacht hat. Sie scheint mit schneidender Härte die Sorge um den kleinen Orestes von sich abzuweisen, frg. 727 a'. In eo viro docto non astipulor hac de causa. Cum enim animo proponere possim matrem iratam ulciscendi cupiditate incensam consilium capere, quo vita filii in periculum adducatur, hoc a matris natura abhorrere videtur, cum adsit periculum, filium amatum aliquis se necaturum minetur, Clytaemnestram illa verba dicere quamvis iratam coniugi, immo exspectamus eam oblitam filiae necatae postposita coniugis ira filii amori tantum id agere, ut vitam filii defendat. Atque ita Clytaemnestram egisse videmus, si contemplamur simulacra, quae quamvis dissentiant in aliis rebus, in eo tamen conveniant, quod mater summo studio filii vitam defendit.[31]) Quam ob rem cum Iahnio (p. 22) malim in Telephi et Clytaemnestrae diverbio haec verba ponere, in quo consilium ea dat Mysorum regi, ut filio Agamemnonis compreso sibi sanationem petat.

His expositis fabulae argumentum restituere conabor. Sed antequam adeo ad singula explicanda, me id agere nego, ut quo quisque loco singula fragmenta posuerit, accurate indicem. Atque etsi video certum locum parti earum constitui non posse, afferam tamen, quid mihi verisimile vel probabile videatur, et in eis fragmentis, ex quibus aliquid de fabulae compositione concludere licet, sententiam meam causis certis firmare conabor. Scaenam fuisse ante Agamemnonis regis domum Geelius (p. 6) aliique, qui post eum de fabula egerunt, recte statuunt. Nam id, quod Heathium secutus Matthiaeus censuit (Eurip. trag. IX p. 338), in castris Graecorum ad Troiam positis rem geri, cum toto fabularum conexu tum eo refellitur, quod Clytaemnestra partes egit in fabula. Atque ne Aulide scaenam dramatis ponamus, prologi verbis impedimur, quibus Telephus in Graeciam reversus Peloponnesum salutat. De hac re quis dubitaverit, utrum Argis an Mycenis fuisse Agamemnonis domum Euripides finxerit. Sed cum fragmenta de ea re nos non doceant, in narrationibus posteriorum Argi commemorantur (cf. frgg. 722. 723. Hyg. Liban. Procl.). Itaque Argos praefero, quam urbem Mycenis olymp. 78 deletis a poëtis tragicis saepius pro vetere Pelo-

[31]) cf. § 13, VIII.

pidarum sede poni videmus, sed Euripidem aliqua libertate usum Mycenas quoque regis sedem nominavisse puto.[32] Prologum Telephum pronuntiasse ex frg. 697 apertum est, quod exstans apud Dionysium Halicarnassensem (de compos. verb. 26; cf. Wecklein l. l. p. 208 adn. 1) omisso dramatis nomine huic fabulae recte adscriptum est. Pannis mendici, pileo Mysio indutus, baculo nixus, vulneris dolore cruciatus (cf. p. 37) Telephus in scaenam prodit et patriam, quam peregrinus ingreditur, appellat hisce verbis:

Ὦ γαῖα πατρίς, ἣν Πέλοψ ὁρίζεται,[33]
χαῖρ', ὅς τε πέτρον Ἀρκάδων δυσχείμερον
Πὰν ἐμβατεύεις, ἔνθεν εὔχομαι γένος.
Αὔγη γὰρ Ἀλέου παῖς με τῷ Τιρυνθίῳ
τίκτει λαθραίως Ἡρακλεῖ· ξύνοιδ' ὄρος
Παρθένιον, ἔνθα μητέρ' ὠδίνων ἐμὴν
ἔλυσεν Εἰλείθυια. (cf. Aristoph. Acharn. 47 sq.)

His adiungenda sunt, quae Strabo tradit ab Euripide de Telephi infantia narrata esse huic fabulae ab Iahnio recte tributa (l. l. p. 20; cf. supra p. 27). Avi igitur iussu sese cum matre Auge in mare proiectum esse Telephus refert, et cum cista, qua inclusi essent, in Mysiam deferretur, ab Teuthrante rege comiter exceptos esse; hunc matrem in matrimonium duxisse, ipsum filii loco accepisse. Deinde narraverit se regem factum esse Mysorum Teuthrante mortuo, Graecos, cum Troiam profecturi in Mysiam ventis delati essent, terram suam vastantes in mare repulisse, Thersandrum necavisse. Huic narrationi inserit Ribbeckius frg. 700, quo ipsius Telephi verba servari ex loco Aristotelico (rhet. 3, 2. p. 1405 a 29) concludendum est:

κώπης ἀνάσσων κἀποβὰς εἰς Μυσίαν
ἐτραυματίσθη πολεμίῳ βραχίονι.

Welckerus Telephum suspicatur finxisse se Graecum esse, cum in

---

[32]) Schneidewin-Nauck, edit. Soph. Electr., praef. p. 12. Strabo p. 377: *διὰ δὲ τὴν ἐγγύτητα τὰς δύο πόλεις ὡς μίαν οἱ τραγικοὶ συνωνύμως προσαγορεύουσιν, Εὐριπίδης δὲ καὶ ἐν τῷ αὐτῷ δράματι τοτὲ μὲν Μυκήνας καλῶν, τοτὲ δ' Ἄργος τὴν αὐτὴν πόλιν καθάπερ ἐν Ἰφιγενείᾳ καὶ Ὀρέστῃ.* cf. Aesch. Ag. 24. 810 sq.; Eurip. Orest. 98. 101.

[33]) *οἰκίζεται* Nauckius coniecit, probat Ribbeckius.

Mysiam venisset a Telepho vulneratum, verba pronuntiari a famulo Agamemnonis, qui peregrini adventum renuntiet. Sed huic sententiae obstat, quod haec ipsius Telephi verba esse Aristoteles testatur. Itaque cum Iahnio facio, qui Welckeri sententiam eo correxit, quod ipsi Telepho verba tribuit, non famulo Agamemnonis, et cum Nauckio ἐτραυματίσθην scribendum esse puto; neque enim probo Ribbeckii sententiam duabus de causis: primum obscuriora et minus distincta haec verba sunt, quam ut prologo, ubi plane rem exponi exspectamus, recte tribuantur, tum, si de Thersandro loqueretur, 'εἰς Μυσίαν' non apte diceret Telephus; Mysiam enim ante nominari opus esset, si de pugna ad Caicum commissa verba faceret. — Ab Achille se vulneratum esse, Telephus exin rettulerit, tum oraculo Delphico iussum ab vulneris auctore sanationem petere. Quocirca ad regis Agamemnonis sedem venisse, ubi Achillem esse cum ducibus Graecorum audivisset, mendici habitum induisse ne agnosceretur:

frg. 698. πτώχ' ἀμφίβληστρα σώματος λαβὼν ῥάκη
ἀρκτήρια τύχης[34])

frg. 699. δεῖ γάρ με δόξαι πτωχὸν εἶναι σήμερον,
εἶναι μὲν ὅσπερ εἰμί, φαίνεσθαι δὲ μή.[35])

cf. Ennii frg. I: regnum reliqui saeptus mendici stola; frg. III: caedem caveo hoc cum vestitu, squalida saeptus stola.

Praeterea prologo aliqua cum probabilitate Wecklcinius vindicat verba ab Aristophane bis posita (Acharn. 384. 440) in scaenis, quibus illudi Telephum Euripideam apertum est:

ἐνσκευάσασθαί μ' οἷον ἀθλιώτατον.

[34]) Verba ἀρκτήρια τύχης aperte corrupta sunt. Pro ἀρκτήρια sensu carente Bernhardyus recte posuit ἀλκτήρια; quid pro τύχης scribendum sit diiudicari non potest deletis sequentibus verbis. Dobrei ψύχους, Ribbeckii αἰχμῆς sensui accomodata esse Weckleinius (l. l. p. 209) negat. Quod ipse Weckleinius proponit, Euripidem scripsisse ἀρωγά τ' εὐχῆς καὶ φόνων ἀλκτήρια, non probo primum quod non video, quomodo corruptelae ratio explicetur, tum quod mihi hoc loco non prorsus apta videtur sanationis commemoratio, quam toto itinere se petere ante Telephus exposuerit.

[35]) Prioris versus finem commutasse poëtam comicum homines docti consentiunt. Sensum explicat Weckleiu (l. l.), proponit πτωχὸν ἐν παρόντι καί, Meineke εἰς τὸ σήμερον.

Quae num arte cum frg. 698 coniungenda sint, haud apparet. Postea Telephum exponere a Clytaemnestra coningi ob filiae mortem irata sibi auxilium promissum esse Iahnius censet (l. l. p. 21), cum neget intellegi, qua ratione poëta effecerit, ne eadem, quae prologo dixisset, reginae Telephus referret, si ei cum illa post prologum esset primum colloquinm. Sed ex frg. 697 concludo Telephum eo ipso temporis puncto advenisse in patriam. Atque nt aliis Graecis ita Clytaemnestrae notnm erat, quid ad Caicum Telepho accidisset, de infantia eins eam doceri non opus erat. Repetit igitur Telephns vulneris cruciatus, oraculum Delphici Apollinis, itineris causam. Haec repeti vix quemquam offenderit, quod ex eis pendet fabnlae compositio.[36])

Causa itineris exposita Telephi et Clytaemnestrae sequitur diverbinm, quo auxilium ille ab regina impetrat. Nam antequam chorus orchestram ingrederetur, Clytaemnestram in scaenam prodiisse effici mihi videtur ex hac re: Apud Aristophanem Dicaeopolis (Acharn. 442) dicit, cum ab Euripide Telephi pannos petit, quibus indutus chori moveat misericordiam:

> τοὺς μὲν θεατὰς εἰδέναι μ' ὅς εἰμ' ἐγώ,
> τοὺς δ' αὖ χορευτὰς ἠλιθίους παρεστάναι,
> ὅπως ἂν αὐτοὺς ῥηματίοις σκιλματίσω.

His verbis rideri choreutas fabulae Euripideae cum verisimile sit propter totius scaenae conexum (cf. Backhnys. p. 14) efficitur chorum non interesse, ubi Telephus se regem Mysorum esse Clytaemnestrae aperiat. Sed probabile mihi videtur antequam regina e domo prodiret Telephum aditum qnaesivisse in domnm regis, sed a famulo repulsum esse. Nam Weckleinius, etsi nimium ex duabus scaenis Aristophanis (Acharn. 395 sq. Thesmoph. 64 sq.) enm conclusisse persuasum habeo (l. l. p. 210), tamen illud quidem recte coniecit et ex Aristoph. Acharn. 472 scholioque huius versus, ex quo in Telepho simile quid fuisse efficitnr, et ex Helenae fabnlae comparatione (435 sq.). Atque ut Telephum ausum esse se suamque fortunam inimici uxori credere probabile fiat, Clytaemnestram suspicor cum Welckero ex domo prodeuntem in scaenam lamentari Iphigeniae mortem graviterque incusare coniugem, quod ipsius filiam leto dederit,

[36]) cf. Iphig. Taur. 44 sq. cnm 150 sq.; Alcest. 9 sq. cum 513 sq.

Telephum hoc audito ad eam accedere eiusque animum sibi asciscere conari.[37]) Hominis infelicis misericordia commota suadet Telepho, ut infantem Orestem, ipsius filium, arripiat et ita sibi paret sanationem. Quod si statuimus, non quadrat in hanc scaenam frg. 704, quo Iahnius Clytaemnestram e domo progredientem a Myso appellari censet. Sed fortasse frg. 727 a huic loco recte tribui supra commemoravi (p. 48)

ἀπέπτυσ' ἐχθροῦ φωτὸς ἔχθιστον τέκος.

Deinde chorus in orchestram sollemni ordine init et canticum canit. Cives Argivos fuisse choreutas recte Welckerus (p. 482) suspicatur, rideri ab Aristophane in Acharnensibus supra monui.

Exinde sequi Atridarum altercationem, de qua dixi p. 48' Iahnius recte coniecisse mihi videtur. Ex qua fragmenta sunt: anapaestico metro composita, quo Agamemnonis ira depingitur

721. ἴθ' ὅποι χρῄζεις· οὐκ ἀπολοῦμαι
τῆς σῆς Ἑλένης εἵνεκα.
722. Σπάρτην ἔλαχες, κείνην κόσμει·
τὰς δὲ Μυκήνας ἡμεῖς ἰδίᾳ.

et fortasse 723:

ὦ πόλις Ἄργους κλύεθ' οἷα λέγει.

Atque ex fragmento 721 videmus fratres inter se verbis contendere de bello contra Troianos gerendo. Agamemnon recusat, ne ullam rem faciat, qua bellum redintegretur. Duces enim Graecorum ob eam causam Argos se contulisse videntur, ut Agamemnonem, ne desisteret a belli consilio, adhortarentur. Et ex oraculo aliquo pendere belli redintegrationem cum Libanii loco quamvis obscure significatur (καὶ τῆς ἀγνοίας μενούσης), tum clarius aperitur Hygini verbis 'Achivis autem quod responsum erat, sine Telephi ductu Troiam capi non posse, facile cum eo in gratiam redierunt'. Sed ex eo, quod Graeci in Telephum invehuntur minimeque ab initio parati sunt cum eo in gratiam redire, efficitur obscuris verbis hoc oraculum conformatum esse

[37]) Haud scio an Aristoph. Acharn. 454. 466 sq. significetur non Clytaemnestram suadere Telepho dolum, sed ipsum Telephum eum excogitare et ab illa infantem petere. Sed Hygini verbis altera sententia, quam supra secutus sum, firmatur.

item atque alterum Telepho datum, eiusque sensum intra fabulam detegi. Agamemnonem autem Menelao filiae immolationem crimini dare ex Dictye concludimus; minime se paratum esse iterum pro fratris uxore perfida, quod sibi amatissimum esset, in perniciem proicere dixerit fratri. Geelius (p. 27) hac in altercatione Agamemnonem verba exclamasse putat Enniana (frg. V):

verum quorum liberi leto dati
sunt in bello, non lubenter haec enodari audiunt.

et Menelao tribuit frg. 720

τόλμα σὺ κἄν τι τραχὺ νείμωσιν θεοί.

Atridarum iram et discordias Ulixem sedare studuisse cum Iahnio (p. 24) suspicor, quem in scaena hanc sequente partes egisse videbimus.[38]) Sed iratus Menelaus relinquit Agamemnonem regem, qui cum Ulixe colloquitur de bello et gesto et gerendo. Quid autem verisimilius quam Telephi mentionem hic esse factam?

Huic loco inserendam esse duco Telephi orationem, quam ante duces Graecorum illum habuisse antequam agnosceretur supra explicavi. Sed quaeritur, utrum cum Backhuyseno fragmentum 706 anteponamus fragmento 701, an Weckleinium secuti (p. 213) iudicemus frg. 701 Telephum dicere oportere, ut primum domo regis relicta ad duces accedat, fragmento 706 alteram incipere orationem. Cum Backhuyseno ut faciam, hisce adducor causis. Si statuimus ab Aristophane illudi totam Telephi orationem ante Graecos habitam utraque oratione comica, aptior est parodia, si ab eisdem verbis initium capiat Telephi oratio, quae prima orationis parte pronuntiat Dicaeopolis. Neque vero cum ea re repugnare iudico, quod verba frg. 701 primo loco ante duces dicta esse videntur; nam etiamsi alia et brevia obiecerit mendicus regibus, tamen, cum latius ei profiteri sententiam concessum sit,

---

[38]) Wilamowitzius (Hermes XVIII p. 234 adnot.) de locis, quibus Sophocles Euripidem respiciat, disserens haecce de Telephi fabula dicit: „Der Aias enthält aber auch einen Anklang an ein berühmteres Stück derselben Tetralogie, welcher die Kreterinnen angehören. Vgl. 1102 sq. mit dem bald sprichwörtlichen Verse des Teleph. Σπάρτην᾽. . . . Auch überhaupt ist die Verwandtschaft der Zankscenen im Teleph., wo ebenfalls Agam., Menel., Odyss. auftreten, dieser als der Löser des Knotens, noch zu erkennen."

apte simulans modestiam, ut gratiam sibi comparet, verba submissa initio orationis pronuntiat (cf. Geel l. l. p. 15). Deinde ex locis, quibus frg. 706 ab Aristophane illuditur, effici mihi videtur verba illa ante maiorem orationem Telephum facere. Nam Dicaeopolis lanionis caudicem affert, ut, ni placuerint Acharnensibus, quae pro Lacedaemoniis diceret, caput ei impositum decutiatur. Itaque cum Ulixes Telepho crimini dederit res adversas prioris expeditionis, maledixerit ei callidis verbis usus, culpa vulneris liberos esse Graecos, quod se defendissent, contenderit, mendicus verba facit et tacere iussus exclamat:

Ἀγάμεμνον, οὐδ᾽ εἰ πέλεκυν ἐν χεροῖν ἔχων
μέλλοι τις εἰς τράχηλον ἐμβαλεῖν ἐμόν,
σιγήσομαι, δίκαιά γ᾽ ἀντειπεῖν ἔχων.

Deinde cum ut libere loqueretur ab rege concessum est, orationem habet maiorem easdemque causas, quibus contra Telephum Ulixes usus est, pro Telepho affert. Initium orationis praebet frg. 701:

Μή μοι φθονήσητ᾽ ἄνδρες Ἑλλήνων ἄκροι
εἰ πτωχὸς ὢν τέτληκ᾽ ἐν ἐσθλοῖσιν λέγειν.

cf. Enn. frg. II: Palam mutire plebeio est piaculum.

Vulneratum se esse, cum in Mysiam appulisset,

frg. 700. κώπης ἀνάσσων κἀποβὰς εἰς Μυσίαν
ἐτραυματίσθην πολεμίῳ βραχίονι.

Verisimile est a Telepho se vulnus accepisse mendicum fingere (Wecklein p. 215), quam ob rem regem Mysorum sibi odio esse (Backhuys. p. 20 II)

frg. 702. καλῶς ἔχοιμι· Τηλέφῳ δ᾽ ἁγὼ φρονῶ

Enn. frg. IV:

qui illum di deaeque magno mactassint malo.

Illud tamen cogitent, ipsos magnam culpam habere, magna iniuria Telephum affecisse. Num mirum, Telephum impetum reiecisse?

frg. 707. ἐρεῖ τις οὐ χρῆν· ἀλλὰ τί χρῆν εἴπατε·

Nonne ipsos, si Telephus illos aggressus esset, omni modo terram defensuros fuisse?

frg. 710. καθῆσθ' ἂν ἐν δόμοισιν; ἢ πολλοῖ γε δεῖ.
Qua re desinant ob illam causam Telepho irasci
frg. 711. τὸν δὲ Τήλεφον
οὐκ οἰόμεσθα; νοῦς ἄρ' ἡμῖν οὐκ ἔνι.
frg. 712. εἶτα δὴ θυμούμεθα
παθόντες οὐδὲν μᾶλλον ἢ δεδρακότες.

In hac fabulae parte, in qua ignotus est Graecis Telephus, collocandum est frg. 703, quod ita apud Nanckium (quem sequitur Dind.) legimus:

οἶδ' ἄνδρα Μυσὸν Τήλεφον· (ξένος δ' ὅδε)
εἴτ' ἔστι Μυσὸς εἴτε κἄλλοθέν ποθεν
(ἐκ τοῦ) προσώπου Τήλεφος γνωρίζεται.

Homo enim doctus Aristophanis verba (Acharn. 430) *οἶδ' ἄνδρα Μυσὸν Τήλεφον* coniunxit cum Olympiodori verbis (Plat. Gorg. 521 B additis): *εἴ σοι Μυσόν γε ἥδιον καλεῖν; ἡ παροιμία αὕτη ἐκ τοῦ Τηλέφου ἐστὶν Εὐριπίδου· ἐκεῖ γὰρ ἐρωτᾷ τις περὶ τοῦ Τηλέφου καὶ φησὶν τὸ Μυσὸν Τήλεφον. εἴτε δὲ Μυσὸς ἦν εἴτε ἄλλοθέν ποθεν, πῶς ὅτι ὁ Τήλεφος γνωρίζεται.* Aperte corrupta extrema verba ita restituit Nauckius, ut Ulixes se agnoscere Telephum exprimat. Quod si probamus, haud video, quomodo efficiat poëta, ut cum Telephus agnitus cum Oreste ad aram confugerit, Ulixes a scaena abeat, Clytaemnestra fere eodem tempore in scaenam progrediatur. Nam Agamemnonem et Clytaemnestram adesse, dum infantem se necaturum Tephus minatur, supra explicavimus (cf. p. 46). Ulixes, ne una cum eis in scaena partes agat, tragoediae Graecae lege impeditur, qua tres tantum actores partes agere debent. Qua re non recte ab Iahnio (p. 28) et Ribbeckio (p. 107) scaena *ἀναγνωρισμοῦ* restituta est. Praeterea suo iure Weckleinius negat Ulixem ex vultu Telephum agnoscere aptum esse, quod ante agnitionem ei colloquium sit cum Ulixe, et quod verbis *ἐρωτᾷ τις περὶ τοῦ Τηλέφου* et voce *πῶς* infra sequente significetur rogationem loco ab Olympiodoro allato contineri. Neque vero Weckleinius recte de fragmento iudicasse mihi videtur, qui, cum apte Telepho mendici pannis induto verba tribuat *οἶδ' ἄνδρα Μυσὸν Τήλεφον* eisque sibi notum esse regem Mysorum iudicare mendicum putet, sequentibus verbis, quae ita legit:

εἴτε δὲ
Μυσὸς (γεγὼς) ἦν εἴτε κἄλλοθέν ποθεν
πῶς (τοῖς Ἀχαιοῖς) Τήλεφος γνωρίζεται;

interrogare eum censet, quomodo Telephum Graeci cognoverint. Neque enim probabile est Telephum fingere sibi ignotam esse Graecorum expeditionem in Mysiam delatam, etiamsi Weckleinii scaenarum compositionem sequamur. Quae cum ita sint, verba obscuriora esse puto, quam ut aliqua cum probabilitate restituantur. Haud scio an eis significetur Telephum in Graeciam venire Agamemnoni nuntiatum esse, tribuantur autem verba Agamemnonis et Ulixis colloquio. Oratione apud duces habita chorum sibi ascivisse Telephum et Aristophanis versibus (442 sq.) et frgg. 709 et 713 probatur. Chori enim verba esse verisimile:

οὔ τ' ἄρ' Ὀδυσσεύς ἐστιν αἱμύλος μόνος·
χρεία διδάσκει, κἂν βραδύς τις ᾖ, σοφόν.

Agamemnon indignatus animos civium illi benevolos[39] esse exclamat: *ἅπασαν ἡμῶν τὴν πόλιν κακορροθεῖ.*

cf. Enn. frg. VI: et civitatem video Argivom incendere.

Deinde Agamemnonem et Ulixem a scaena abire suspicor, Telephum cum choro agere, Clytaemnestram vultu perterrito e domo progredi, a Telepho appellari hisce verbis:

Ἄνασσα πράγους τοῦδε καὶ βουλεύματος
[τί μοι σκυθρωπὸς ἐξελήλυθας δόμων][40],

perturbatam referre aliquo modo — sive nuntio allato, sive Ulixis calliditate — Telephum agnitum esse, Agamemnonem iratum perniciem illi parare.

Tum Telephus Orestem parvulum de cunabulis (Hyg.) vel e brachiis nutricis vel sororis (cf. simulacra C. D. E. F) rapit et ad aram confugit, Agamemnon e domo prodit citato gradu, in Mysum gladio destricto invehitur, qui vitae filii gladio minatur, ut se a patre defendat.

Agamemnoni perterrito eidemque irato Ribbeckius frg. 705 tribuit ab aliis alio loco positum

---

[39]) frg. 709 Ribbeckius in extrema fabula ab ipso Telepho pronuntiatum esse censet.

[40]) Euripidea esse coniecit Valcken., Diatr. p. 210.

ω Φοῖβ' Ἄπολλον Λύκιε, τί ποτέ μ' ἐργάσει;

Clytaemnestra mater summo angore agitata coniugem iratum amplectitur et ne filii vitam det mortis periculo impedit. Telephus quin callidis verbis Agamemnonis iram sedare studeat et regis paullatim animum benevolum sibi faciat, vix dubium. Hoc loco probabiliter Weckleinius ponit frg. 708, ab aliis aut prologo aut priori orationi a Telepho ante Agamemnonem habitae adscriptum, quod ita legendum esse censet:

τί γάρ με πλοῦτος ὠφελεῖ νοσοῦντά γε;
σμίκρ' ἂν θέλοιμι καὶ τάφ' ἡμέραν ἔχων
ἄλυπος οἰκεῖν μᾶλλον ἢ πλουτῶν νοσεῖν.[41])

Agamemnonem, qui sanationem se illi paraturum esse, si aram reliquerit, pollicetur, ut certis et distinctis verbis promissum repetat, Telephus rogat (Enn. frg. VIII)

te ipsum hoc oportet profiteri et proloqui
advorsum illam mihi. (Ribbeck p. 111.)

Sed quomodo exinde actio progressa sit enucleare non possumus, quod parum perspicua sunt Hygini verba neque ex Aristophane quidquam de hac tragoediae parte elucet. Certum tamen est ut Agamemnonem ita Ulixem cum Telepho in gratiam redire. Haud scio an hic, cum oraculi Graecis dati sensum perspexerit, animo suo persuaserit optimum esse et a deis iussum Telephum ab Achille sanari (Weckl. p. 220). Nam hunc quidem rerum conexum verisimile est significari Hygini verbis: 'Achivis autem quod responsum erat, sine Telephi ductu Troiam capi non posse, facile cum eo in gratiam redierunt'. Huius oraculi sensum non ab Ulixe, sed a Calchante (Welcker p. 489) aperiri Ribbeckius censet verbis fabulae Ennianae (frg. VII)

deumque de consilio hoc itiner credo conatum modo.

Quam sententiam probarem, quod ab Ulixe utrumque oraculum

---

[41]) Huic fragmento addunt Geel, Welcker, Iahn, Hart. frg. inc. 884:

ἐπεὶ τί δεῖ βροτοῖσι πλὴν δυοῖν μόνον
Δήμητρος ἀκτῆς πώματος θ' ὑδρηχόου,
ἅπερ πάρεστι καὶ πέφυχ' ἡμᾶς τρέφειν;
ὧν οὐκ ἀπαρκεῖ πλησμονή· τρυφῇ δέ τοι
ἄλλων ἐδεστῶν μηχανὰς θηρεύομεν,

Hartungius etiam frg. inc. 1055.

explicari non prorsus consentaneum est, alterius autem explicatio ei cum Hygino tribuitur, si intellegerem, quomodo difficultates scaenicae solverentur. Atque postquam Agamemnon et Ulixes Telepho sanationem promiserunt, ab Achille, quem in extrema fabula in scaenam prodiisse fragmentis, Hygini verbis, simulacris artificum comprobatur, petunt, ut sanet quem vulneravit inimicum ira odioque depositis. Achilli dicuntur ab Ulixe verba

frg. 715. ὥρα σε θυμοῦ κρείσσονα γνώμην ἔχειν,

qui iratus respondet:

frg. 714. τί δ', ὦ τάλας; σὺ τῷδε πείθεσθαί με λῇς;
frg. 717. Ἕλληνες ὄντες βαρβάροις δουλεύσομεν;
frg. 718. κακῶς ὄλοιτ' οὖν· ἄξιον γὰρ Ἑλλάδι.

Pelida Agamemnoni dicit (ex Ribbeckii sententia)

716. κακός τίς ἐστι προξένῳ σοι χρώμενος.

Telephum ipsum Achilli verbis gravibus persuadere ne deorum voluntati resistat viri docti iudicant

frg. 724. σὺ δ' εἴκ' ἀνάγκῃ καὶ θεοῖσι μὴ μάχου·
τόλμα δὲ προσβλέπειν με καὶ φρονήματος
χάλα· τά τοι μέγιστα πολλάκις θεὸς
ταπείν' ἔθηκε καὶ συνέστειλεν πάλιν.

Ulixes qua fuit calliditate, sensu oraculi Telepho dati perspecto, cum Achilles ne inimico medeatur recuset, quod ignarus sit artis medicae, 'non te dicit Apollo,' inquit 'sed auctorem vulneris hastam nominat'.

frg. 725. πριστοῖσι λόγχης θέλγεται ῥινήμασιν.

Telephus se ducturum esse Graecos in terram Troianam pollicitus ab Achille sanatur, et ubi impetravit, quae summo studio appetiverat, potuit sane exclamare:

frg. 719. μοχθεῖν ἀνάγκη τοὺς θέλοντας εὐτυχεῖν.

Reliquum est, ut de loco Aristophaneo disseram, qui utrum ad Telephum an ad aliam tragoediam Euripideam spectet, veteres iam dubitant grammatici. Euripides in Ranis dicit cum alia tum haec (1400)

βέβληκ' Ἀχιλλεὺς δύο κύβω καὶ τέσσαρα,

quae ex fabula Euripidea esse cum toto conexu loci atque Eupolidis frg. (Kock n. 342 I p. 348) probetur:

ἀποφθαρεὶς δὲ δύο κύβω καὶ τέσσαρα,

interpretes veteres frustra fabulas perscrutati sunt, ut hunc versum apud Euripidem invenirent (cf. schol. ad h. l.). Itaque Aristarchum coniecisse scholiasta tradit Euripidem heroas tesseris ludentes in fabulam indnxisse eamque scaenam, quod non placuisset Atheniensibus postea delevisse. Qnam ad sententiam probandam Iahnius (l. l. p. 25) affert vas fictile ab Execia confectum, quod antiquins est, quam ut ad Telephum referatur.[42]) Atque mirum certe esset, quam scaenam Euripides delevisset in hac fabula spectatoribns non probatam, eandem in Iphigenia Aulidense eum repetivisse (v. 195). Itaque ex hac re iterum edidisse Euripidem Telephi fabulam minime concluserim, praesertim cum id nulla alia re firmetur.

Ex Telepho petitum esse frg. inc. 910 Theod. Bergkius coniecit (rell. com. Att. p. 135 sq.), probat Backhuysenus (p. 23):

πρὸς ταῦθ' ὅ τι χρὴ καὶ παλαμάσθω
καὶ πᾶν ἐπ' ἐμοὶ τεκταινέσθω
τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ
καὶ τὸ δίκαιον σύμμαχον ἔσται,
κοὐ μή ποθ' ἁλῶ κακὰ πράσσων.

cf. Aristoph. Ach. 659 sq. (cf. Iahn l. l. p. 26 adn. 27.).

§ 8. Alii poëtae tragici.

Quoniam de trium magnorum tragicorum fabulis verba feci, ad ea, quae de aliornm poëtarum tragoediis dicenda sunt, adeo explicanda.

In Agathonis fabnlis Mysi commemorantur et Telephus (cf. Welck., Gr. Trag. p. 989; Iahn, Teleph. u. Troil. u. kein Ende p. 6). Ex Telepho fragmentum Athenaeus (X p. 454 d) tradit satis mirnm (Nauck p. 593):

ἀγράμματος γάρ τις ἐνταῦθα δηλοῖ τὴν τοῦ Θησέως ἐπιγραφὴν οὕτως·

Γραφῆς ὁ πρῶτος ἦν μεσόμφαλος κύκλος·
ὀρθοί τε κανόνες ἐζυγωμένοι δύο,

---

[42]) cf. Welcker, Alte Denkm. III p. 4 sq.

Σκυθικῷ τε τόξῳ τὸ τρίτον ἦν προσεμφερές·
ἔπειτα τριόδους πλάγιος ἦν προσκείμενος·
ἐφ' ἑνός τε κανόνος ἐζυγωμένοι δύο·
ὅπερ δὲ τρίτον ἦν καὶ τελευταῖον πάλιν.

Scutum Thesei nomine exornatum ab aliquo describi verisimile est (Iahn l. l.). Quod ipsum Theseum gestare cum praeter alios Welckerus iudicet, Iahnius Theseidas Acamantem et Demophontem in scaenam prodiisse eorumque alterum scutum patris nomine exornatum tulisse suspicatur. Nam cum id imprimis poëtae tragici agerent, ut patriae splendore elato popularium animos sibi adsciscerent, saepe veteres reges Atticos in fabulas celeberrimas induxernnt. Cuius rei et fabulae nobis servatae et vasa fictilia exempla praebent satis perlucida. Atque si temporum seriem et fabularum conexum respicimus, probabilior videtur esse Iahnii coniectura; nam Theseus quomodo cum Telepho coninnctus sit vix potest intellegi. Hac re probata eandem fabulae partem Agathonis tragoediae fnisse argumentum verisimile est, qnam et Aeschylus et Euripides fabulis expresserunt. Atque hoc alicuius momenti est. Primum videmus Mysos a Telepho diversos esse, quod Mysorum chorus nisi in Mysia non aptus est. Tum verisimilis fit Tyrwhittii coniectura (l. l. p. 138) ab Aristotele Achillem, qui fuerit in Telephi fabula, significari (ars poët. c. 15. 1454 b, 14) *παράδειγμα σκληρότητος οἷον τὸν Ἀχιλλέα Ἀγάθων καὶ Ὅμηρος*. Quod si probaverimus Achillis mores accuratius depinxisse et maiores partes ei tribuisse Agathonem quam Euripidem iudicabimus.

Iophontem [1] (Welck. p. 995) Telephum, Nicomachum (Welck. p. 1013) Mysos docnisse a Suida traditum est. Ex Moschionis Telepho fragmentnm servavit Stobaeus (Nauck, trag. frg. p. 631):

ὦ καὶ θεῶν κρατοῦσα καὶ θνητῶν μόνη
μοῖρ' ὦ λιταῖς ἄτρωτε δυστήνων βροτῶν
πάντολμ' ἀνάγκη, στυγνὸν ἡ κατ' αὐχένων
ἡμῶν ἐρείδεις τῆςδε λατρείας ζυγόν.[2]

Philetae opus schol. Apoll. Rhod. IV, 1141 commemoratur *Φιλητᾶς δ' ἐν Τηλέφῳ*, quod Papius (lex. s. v. *Τήλεφος*) drama fuisse

[1]) Non Cleophontem; cf. Hiller, Phil. Anz. XV p. 214 sq.
[2]) cf. Meineke, Monatsber. d. Berl. Akad. 1855, Febr.

censet; sed ἐν Τηλέφῳ ex ὁ Τηλέφου corruptum videtur esse (edit. schol. Keil. p. 517 adnot.). Philetae enim patri nomen Telepho fuisse Suidas alii tradunt.

Eurypyli gesta fuisse tragoediae argumentum Aristoteles tradit (poët. 23. 1459 l. l.).

Praeterea argumentum tragoediae a poëta aliquo post Euripidem compositae apud Hyginum nobis servatum est. Fabula enim centesima, quae Teuthras inscribitur, haecce habet:

'Teuthrantem regem in Mysia Idas Apharei filius regno privare voluit; quo', cum Telephus Herculis filius ex responso quaerens matrem cum comite Parthenopaeo venisset, huic Teuthras regnum et filiam Augen in coniugium daturum promisit, si se ab hoste tutasset. Telephus condicionem regis non praetermisit, cum Parthenopaeo Idam uno proelio superavit. Cui rex pollitam fidem praestitit regnumque et Augen matrem inscientem in coniugium dedit. Quae cum mortalem neminem vellet suum corpus violare, Telephum interficere voluit inscia filium suum; itaque, cum in thalamum venissent, Auge ensem sumpsit, ut Telephum interficeret. Tum deorum voluntate dicitur draco immani magnitudine inter eos exisse, quo viso Auge ensem proiecit et Telepho inceptum patefecit. Telephus re audita inscius matrem interficere voluit: illa Herculem violatorem suum imploravit et ex eo Telephus matrem agnovit et in patriam suam reduxit'.

Quam fabulam si cum antecedente (IC.) comparamus, facile videmus eas duabus rebus, quae ab reliquis narrationibus abhorrent, inter se consentire, primum quod Telephus et Parthenopaeus arte inter se coniunguntur, tum quod Augen non in matrimonium ducit Teuthras, sed filiae loco accipit. Quam ob rem statuimus eandem fabulae formam utraque Hygini narratione traditam esse. Atque videmus etiam aliis rebus eas dissentire ab eis, quae aliunde de Auge audimus; primum Augen patrem suum timentem in Mysiam confugere fabula IC. narratur, cum ceteris narrationibus, quamvis inter se discrepent rebus singulis, tradatur eam patris iussu sive in mare proiectam sive in Mysiam deportatam esse, tum in fabula C. legimus Augen a Telepho in Arcadiam reductam esse, id quod cum ea re arte cohaeret, quod Auge Teuthrantis filia est non uxor. Atque hac

quidem re convenit Hyginus cum epigrammate, quod ad signum pertinet Cyzicenum (Anthol. Pal. III, 2):

τὸν βαθὺν Ἀρκαδίης προλιπὼν πάτον εἵνεκα ματρός
Αὔγης, τᾶςδ' ἐπέβην γᾶς Τευθραντιάδος
Τήλεφος, Ἡρακλέους φίλος γόνος αὐτὸς ὑπάρχων
ὄφρα μιν ἀψ' ἀνάγω ἐς πέδον Ἀρκαδίης.

Et cum signorum Cyzicenorum argumenta maximam partem ex tragoediis derivari videantur (cf. Iacobs, Anthol. Pal. III p. 34), in propatulo est coniectura ad tragoediam hanc fabulae formam spectare. Quod firmatur disertis Aeliani verbis (Hist. an. III 47) *Δότε μοι τοὺς τραγῳδοὺς — καὶ πρό γε ἐκείνων τοὺς μυθοποιοὺς ἐρέσθαι, τί βουλόμενοι τοσαύτην ἄγνοιαν τοῦ παιδὸς τοῦ Λαΐου κατέχουσι καὶ τοῦ Τηλέφου τοῦ συνελθόντος τῇ μητρὶ τὴν δυστυχῆ σύνοδον, καὶ μὴ πειραθέντος μὲν τῆς ὁμιλίας, συγκατακλινέντος δὲ τῇ γειναμένῃ, καὶ πράξαντος ἂν τὰ αὐτὰ εἰ μὴ πολλάκις θείᾳ πομπῇ διεῖρξεν ὁ δράκων.* Sed certa desiderantur testimonia, quibus cui poëtae fabula sit tribuenda significetur. Hoc enim recte Ribbeckius (Röm. Trag. p. 311) mihi videtur negare ullo Sophoclis Mysorum loco probari Welckeri coniecturam fabulae Sophocleae argumentum apud Hyginum exstare. Sed statui posse contendo terminum, post quem fabulam doctam esse verisimile sit. Etenim duabus rebus, quae a vulgata fabulae forma abhorrent, mirum in modum cum Euripidis Iphigenia Taurica consentit Hyginus, quam ab Euripide inde ab anno 411 ad 409 in scaenam productam esse Wilamowitzius censet (anal. Eurip. p. 153). Euripides enim primum enarrasse videtur Orestem cum Pylade comite, ut a Furiis liberaretur, in terram Tauricam migrasse et sororem in patriam reduxisse. Item Telephus Parthenopaeo utitur comite in fabula, de qua dicimus, et matrem in patriam reducit. Hoc casui non tribuerim, sed poëtam ad Euripidis fabulae exemplum Telephi fabulam conformasse coniecerim. Neque enim Parthenopaeum ex antiquissima aetate cum Telepho coniunctum esse ex eo efficitur, quod alii fabularum conexui a plurimis scriptoribus tribuitur, Pylades autem inde ab epicis carminibus Orestis amicus et comes est fidelissimus (Kinkel, frg. epic. p. 53).

§ 9. Poëtae comici.

De Aristophanis et Timoclis parodia dixi, cum de Telepho egi Euripidea atque Amphidis et Alexidis locos commemoravi, ubi de Mysis Aeschyli verba feci. Reliquum est, ut de Philyllii et Eubuli fabulis, quae Auge inscribuntur, pauca afferam. Utramque fabulam ad Euripidis irrisionem compositam esse suo iure Meinekius censet (hist. crit. com. I p. 259).

Atque ex Philyllii comoedia tria fragmenta laudato poëtae nomine servata sunt (Mein. II, 2 p. 857; Kock I p. 782), ex quibus nihil nisi id efficitur viros mulieresque epulari, servos servasve cibos varios afferre, post epulas mensas detergere. Apertum est Herculem ab Aleo apparatis epulis excipi et vino onerari (cf. Alcid. l. l. καὶ αὐτὸν ξενίζει ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἀθηνᾶς). Festum celebrari ex eo videmus, quod permultos homines epulis interesse frg. 5 aliquis narrat:

πάντα γὰρ ἦν
μέστ' ἀνδρῶν καὶ μειρακίων
πινόντων, ὁμοῦ δ' ὁμάδῳ
γράδι' ἦν μεγάλαισιν οἴ-
νου χαίροντα λεπασταῖς.

Simile fuisse Eubuli fabulae argumentum ex uno quod exstat fragmento efficitur (Meinek. III p. 211; Kock II p. 170). Famulus vel famula hominem ad ianuam stantem invitat, ut intret in domum et famem expleat epularum reliquiis. Praeterea verba in Rhesi scholiis tradita (419)

σὺν τῷ βαθείας καὶ πυκνὰς
ἕλκουσι τὰς ἀμυστίδας,

quae Euripidis Augae G. Hermannus (opusc. V, 189) tribuit, Nauckius Euripidea esse cum neget, quod abhorreant a tragicorum consuetudine dimetri iambici, poëtae comici esse contendit. In Philyllii Auga Nauckius ea posuit. Eiusdem fabulae esse fragmentum 22: τὸ κάταγμα κροκυδίζουσαν αὐτὴν κατέλαβον (Αὔγην) Bergkius (rell. com. Att. p. 428) coniecit. Quod si rectum esset, Hercules haec diceret novamque haberemus fabulae formam; Augen enim nentem ab Hercule opprimi aliis locis non commemoratur. Sed ob eam ipsam causam coniecturam

haud probaverim. Ad Philyllii vel Eubuli fabulam Mosis Chorenensis narrationem relatam esse supra exposui (p. 29).

Praeterea Telephi fabulam confecerunt Dinolochus, poëta comicus Siciliensis, qui Epicharmi aetate floruit (cf. Ruhnkenii adnotationem ad Vellej. Paterc. I, 6; Lorenz, Epicharmos p. 86 sq. et 305), et Rhinton Tarentinus, qui inter *φλυακογράφους* primum tenuit locum (Pollux X, 35).

§ 10. Poëtae posteriores.

Duarum poëtarum Alexandrinorum locos affero. In Callimachi hymno quarto mons Parthenius significatur *ὄρος ἱερὸν Αὔγης* (v. 70), cui versui scholiasta adscripsit (Schneider I p. 124) *ἔνθα τὴν Αὔγην τὴν Ἀλεοῦ θυγατέρα, ἱέρειαν τῆς Ἀθηνᾶς, ἔφθειρεν Ἡρακλῆς.* Praeterea Lycophron in carmine quod Alexandra inscribitur Telephi casus a Libero effecti mentionem facit (206 sq.):

σωτῆρα Βάκχον τῶν πάροιθε πημάτων
Σφάλτην ἀνευάζοντες, ᾧ ποτ' ἐν μυχοῖς,
Δελφινίου παρ' ἄντρα Κερδῴου θεοῦ,
Ταύρῳ κρυφαίας χέρνιβας κατάρξεται
ὁ χιλίαρχος τοῦ πολιρραίστου στρατοῦ,
ᾧ θυμάτων πρόσπαιον ἐκτίνων χάριν
δαίμων Ἐνόρχης Φιγαλεὺς Φαυστήριος
λέοντα θοίνης, ἴχνος ἐμπλέξας λύγοις,
σχήσει, τὸ μὴ πρόρριζον αἰστῶσαι στάχυν
κείροντ' ὀδόντι καὶ λαφυστίαις γνάθοις.

Idem commemoratur posteriore loco, ubi de filiis Telephi Tarchone et Tyrrheno poëta verba facit (1245 sq.):

σὺν δὲ δίπτυχοι τόκοι
Μυσῶν ἄνακτος, οὗ ποτ' Οἰκουρὸς δόρυ
γνάμψει θέοινος, γυῖα συνδήσας λύγοις,
Τάρχων τε καὶ Τυρσηνός, αἴθωνες λύκοι.[1])

Sed hanc fabulae formam tertio saeculo iam vulgatam fuisse propterea ex his versibus non concludimus, quod hanc totam

[1]) cf. pag. 73.

carminis partem a posteriore scriptore additam esse satis constare videtur. (cf. Bernhardy, Griech. Litt.-Gesch. II, 2 p. 718; Fr. Cauer, de fabulis Graecis ad Romam conditam pertinentibus, p. 28—31, Rhein. Mus. XXXXI p. 387 sq.; aliter de ea re iudicat Wilamowitzius, de Lycophr. Alex. p. 6 sqq.).

Posteriore aetate Quintus Smyrnaeus Eurypyli gesta narravit in carmine de rebus posthomericis conscripto[2]), V 120 sq., ex quo affero, quae de Eurypyli dicit origine v. 135 sqq.:

τὸν γὰρ δὴ τέκε δῖα κασιγνήτη Πριάμοιο
Ἀστυόχη κρατέρῃσιν ὑπ᾽ ἀγκοίνῃσι μιγεῖσα
Τηλέφου, ὅν ῥα αὐτὸν ἀταρβέϊ Ἡρακλῆι
λάθρῃ ἑοῖο τοκῆος ἐϋπλόκαμος τέκεν Αὔγη,
καί μιν τυτθὸν ἐόντα καὶ ἰσχανόωντα γάλακτος
θρέψε θοή ποτε κέμμας, ἑῷ δ᾽ ἴσα φίλατο νεβρῷ
μαζὸν ὑποσχομένη βουλῇ Διός· οὐ γὰρ ἐῴκει
ἔκγονον Ἡρακλῆος ὀϊζυρῶς ἀπολέσθαι.

Eurypylus Nireum occidit (372 sq.) et Machaonem (391 sq.), cuius de corpore acriter dimicatur, sed postquam praeter eos multos Graecos ad inferos demisit, ab Neoptolemo, Achillis filio, necatur (VIII, 108 sq.). Telephum et Achillem ad Caicum dimicasse commemoratur IV, 152. XIV, 129; ibidem ab Achille sanatum esse Telephum IV, 172 sq.

Christodorus in statuarum descriptionibus postquam descripsit Herculem imberbem mala Hesperidum tenentem pergit:

Ἔγγυθι δ᾽ αὐτοῦ
Παλλάδος ἀρήτειρα παρίστατο, παρθένος Αὔγη,
φᾶρος ἐπιστείλασα κατωμαδόν· οὐ γὰρ ἐθείρας
κοσμήτορι δέμνῳ συνέεργεν· ἑᾶς δ᾽ ἀνετείνατο χεῖρας
οἷά τε κικλήσκουσα Διὸς γλαυκώπιδα κούρην,
Ἀρκαδικῆς Τεγέης ὑπὸ δειράδος. (p. 27 Dübner.)

Ex epigrammatis Cyzicenis secundum ad Telephi et Auges recognitionem spectat; cf. supra p. 63.

Vitis palmitibus Telephum perstrictum esse significatur anthol. pal. IX, 477.

Maioris momenti est anthol. XVI, 110 (append. Planud.)

[2]) cf. pag. 4 sq.

Φιλοστράτου εἰς εἰκόνα Τηλέφου τετρωμένου.

Οὗτος ὁ Τευθρανίας πρόμος ἄσχετος, οὗτος ὁ τὸ πρὶν
Τήλεφος αἱμάξας φρικτὸν ἄρη Δαναῶν,
Μυσὸν ὅτε πλήθοντα φόνῳ ἐκέρασσε Κάϋκον,
οὗτος ὁ Πηλιακοῦ δούρατος ἀντίπαλος
νῦν ὀλοὸν μηρῷ κεύθων βάρος, οἷα λιπόπνους
τήκεται ἐμψύχῳ σαρκὶ συνελκόμενος·
οὗ καὶ τειρομένοιο περιπτώσσοντες Ἀχαιοὶ
φύρδην Τευθρανίας νεῦνται ἀπ' ἠϊόνος.

Cum Telephi fabula res amatoriae comparantur a Macedonio in anthol. V, 225.

Pergamenos Telephi memoriam coluisse eiusque progeniem se esse gloriatos esse ex eo videmus, quod Telephidae appellantur ab Apolline Gryneo (C. I. Gr. 3585; Kaibel, epigr. Gr. 1035) et ex epigrammate a Suida servato s. v. *Χάραξ* (Iacobs, anthol. Gr. II p. 808):

Εἰμὶ Χάραξ ἱερεὺς γεραφῆς ἀπὸ Περγάμου ἄκρης,
ἔνθα ποτὲ πτολέμιζεν Ἀχιλλῆι πτολιπόρθῳ
Τήλεφος, Ἡρακλῆος ἀμύμονος υἱὸς ἀμύμων.

Infima aetate Ioh. Tzetzes Telephi res gestas tractavit: primum in Chiliadibus (VI, 660 sq.) pugnam ad Caicum commissam paucis refert et praeter alia Telephum *κατὰ μηροῦ* vulneratum esse commemorat; tum in Antehomericis (263 sq.) idem narrat, cum in aliis rebus discrepans ab antiquioribus scriptoribus, quos supra attuli, tum eo, quod non priore in expeditione ventis delatos Graecos in Mysiam appulisse tradit, sed Achillem et Palamedem, dum Troia obsideretur, eo venisse in expeditione ad finitimas terras vastandas suscepta et cum rege Mysorum dimicavisse. Nam Tzetzes id agit, ut, quae ipse refert, cum Homero consentiant (cf. v. 166—172). Mysorum nomina et quae de Hiera, Telephi uxore, narrantur, ex Philostrato petita sunt (cf. p. 72 sq.). De Telephi sanatione nihil dicitur; Achillem et Telephum propter Hierae occisae pulchritudinem in gratiam rediisse Tzetzes narrat:

τόσσος δὲ θρῆνος περὶ κάλλεϊ ὤρετο ταύτης,
Τηλέφῳ ὡς σπείσασθαι Ἀχιλλῆα πτολίπορθον.

In Posthomericis auxilium Troianis ab Eurypylo latum esse narratur (554 sqq.), Eurypylus Hierae filius esse dicitur.

§ 11. Scriptores posteriores.

His expositis orationis solutae scriptores, qui posteriore aetate Telephi fabulam enarraverunt aut attigerunt, paucis tractabo. Ex quibus magnam partem eamque, quae antiquiorem fabulae formam tradit, commemoravi, ubi de poëtis egi. Quae tamen addenda esse videantur explicabo atque a Telephi infantia initium faciam, quod hoc modo clarius rem exponi puto, quam temporum ordine servato. Quae ad Telephi infantiam spectant narrationes variae sunt, saepe inter se discrepant, ut fabularum viae dilucide non perspiciantur (cf. Iahn, Teleph. u. Troil., p. 47 sq.; Schirmer in Rosch. lex. mythol. s. v. Αὔγη). Primum afferam quae Tegeae, ubi Telephi memoria colebatur, Alei Tegeatae nepotis, posteriore aetate narrata esse Pausanias tradit. Haec cum eis, quae ex Hecataeo attulit (VIII, 4. 6; cf. supra p. 11), minime consentire non effugit scriptorem (VIII, 47, 4). Fontem monstrabant Tegeatae prope deae Minervae templum *καὶ ἐπὶ ταύτῃ βιασθῆναι τῇ κρήνῃ φασὶν Αὔγην ὑπὸ Ἡρακλέους.*[1]) Deinde Pausanias refert (VIII, 48, 5), quae sibi de Ilithyiae sacro et nomine Tegeatae narraverint: Augam gravidam Nauplio traditam a patre, ut in mare deiceretur, in foro Tegeae peperisse genibus nixam. Quam ob rem Ilithyiae sacrum ibi vindicatum deaeque nomen inditum esse *'Αὔγη ἐν γόνασι'* (cf. Iahn l. l. p. 49; Marx, Mitth. d. athen. Inst. X p. 185). Sed etiam aliter Tegeatas fabulam narrasse Pausanias dicit l. l.: *ἑτέρῳ λόγῳ λάθρᾳ τὴν Αὔγην τεκεῖν τοῦ πατρὸς καὶ ἐκτεθῆναι τὸν Τήλεφον λέγοντι ἐς τὸ ὄρος τὸ Παρθένιον καὶ τῷ παιδὶ ἐκκειμένῳ διδόναι γάλα ἔλαφον.* Ubi Telephus expositus esse ferebatur, ibi Pausaniae aetate *Τηλέφου τέμενος* ostendebatur (Paus. VIII, 54, 5; cf. Apollod. I, 8, 6). Iahnio, qui contendit has duas narrationes postea coniunctas esse et ita effectam esse eam fabulae formam, quam apud Apollodorum invenimus, non assentior. Nimium tribuit mea quidem sententia Iahnius priori narrationi, quae cum deae simulacro et sacro con-

[1]) cf. Milchhoefer, Mitth. d athen. Inst. V p. 65 sq.

iuncta est. Supra autem vidimus, Telephum in monte Parthenio exponi, Augam Nauplio tradi non solum a posterioribus mythographis, sed etiam a poëtis tragicis narratum esse (pp. 20 sq.; 24 sq.). Verba Pausaniae οὗτος ὁ λόγος διάφορος μέν ἐστιν ἑτέρῳ λόγῳ pertinent eo, quod ex altera narratione Auge, postquam gravida Nauplio tradita est, parturit, ex altera autem post ipsum partum facinus detegitur (cf. verba supra allata). Sed hac diversitate excludi negaverim hanc narrationem ad fabulae formam redire, ex qua post partum detectum Auge Nauplio tradita esse ferebatur. Cuius fabulae testis est imprimis Apollodorus, qui duabus bibliothecae locis de Telephi infantia verba facit, quos ex uno fonte derivari, certe eandem fabulae viam sequi comparatio docet. Nam quae diversa sunt, aliqua ex parte explicantur eo, quod priore loco (A. II, 7, 4) de Herculis rebus gestis, posteriore de Arcadicorum regum stirpe agitur (B III, 9, 1). In hac re quodammodo inter se repugnant loci, quod in A Augen vendere, in B necare iubetur Nauplius. Neque vero ex ea re concluserim diversas fabulas sequi Apollodorum, sed hoc ex brevitate utriusque loci explicaverim. Cum A Tzetzae scholium ad Lycophr. 206 (C, non petitum ex veteribus scholiis, Kinkel p. 85) ita consentit non modo totius fabulae relatione, verum etiam singulis verbis, ut Tzetzes hic ut alibi Apollodoro usus esse videatur. Praeterea Diodorus (IV, 33), ubi res ab Hercule gestas refert, mentionem facit Telephi infantiae. Narratio cum apud Apollodorum post iter ab Hercule in Lacedaemonem factum posita sit, a Diodoro arte cum eo coniungitur. Et si cum A. B. C comparamus Diodori narrationem (D), videmus cum aliis rebus, quae minoris momenti sunt, differre D ab A. B. C [1]), tum eo, quod Augen gravidam Nauplio dat Aleus (καταποντίσαι = B), ea abducta in monte Parthenio Telephum parturit atque exponit. Sed in ea re congruunt A B C D, quod Telephus a cerva nutritur et in Arcadia educatur, Auge ab Nauplio in Mysiam deportatur.

Atque hanc quidem fabulae formam secutos esse singulis

[1]) Apud Diodorum pastores Corytho domino infantem tradunt, qui eum educat ut ipsius filium. Non ipsi Teuthranti Nauplium vendidisse regis filiam Diodorus tradit, sed Caribus, qui eam in Mysiam deduxissent.

rebus mutatis Aeschylum in Mysis, Sophoclem in Aleadis, Mysis supra ostendere conatus sum (pp. 12 sq. 20 sq.). Quomodo Euripides, qui eadem fabulae forma usus est in Augae tragoedia componenda, rem converterit, quo iure ad eum Mosis Chorenensis narratio relata sit, suo loco ostendi.[2]) Tum Pseudoalcidamas in declamatione, quae inscribitur Ὀδυσσεὺς κατὰ Παλαμήδους προδοσίας (p. 670 Bekker) refert, quae Telepho acciderint. Sed si hac oratione utimur, id teneamus oportet Ulixem id agere, ut Palamedis patri Nauplio invidiam moveat et cum Telepho Palamedem proditionem fecisse ducibus Graecorum persuadeat, non id ut Telephi fabulam enarret. Quam ob rem ex hoc scriptore peculiarem fabulae formam non concluserim. Sed hoc summi momenti est, quod cur sacerdos facta sit Auga a patre audimus (cf. supra p. 21). Atque cum in aliis rebus maxime cum Diodoro consentiat narratio, in eo ab omnibus, quas adhuc attuli narrationibus abhorret, quod Telephum in monte Parthenio partum una cum matre in Mysiam venum datum esse refert. Neque defuisse, qui una cum Auge Telephum in Mysiam venisse traderent, supra vidimus. Hecataeus, Euripides in Telepho ita rem narraverant (cf. p. 11. 27). Sed in cista inclusi, in mare proiecti ventis eo deferuntur. Duas fabulae formas immiscuisse mihi videtur Pseudoalcidamas. Hoc primum eo probatur, quod oraculi commemoratio non quadrat ad id, quod Telephus infans cum Auga in Mysiam deportatur, quae in ea tantum fabula apta est, ubi a Telepho in Arcadia adulescentiam agente matris fratres occiduntur. Tum scriptoris intererat Nauplio non solum crimini dare, quod Augam, quam necare iussus erat, in Mysiam vendidisset, sed etiam quod Telephum belli auctorem servasset. Qua de causa callide dicit: ἀμελήσας δὲ ὢν ὁ Ἄλεως αὐτῷ ἐπέστειλεν, ἄγων αὐτὴν ἀπέδοτο καὶ τὸ παιδίον εἰς Μυσίαν.[3])

[2]) Telephum a cerva nutritum esse commemorant saepius scriptores posteriores: Aelian., Var. hist. XII, 42; Dio Chrys. XV p. 237, LXIV p. 598; Lucian. de sacrif. 5: Moses Choren.

[3]) Teuthrantem Priamo Troianorum regi Telephum educandum tradidisse idem scriptor narrat. Quod ab eo fictum esse duco, fabulae autem causam fuisse Telephi et Troianorum coniunctionem inde ab antiquissimis temporibus traditam. cf. quae exposuit Maassius, ind. schol. Gryphiswald., sem. hib. 1886/1887, p. 3 sq.

Quae in Mysia Telepho advenienti acciderint, varie traditur. Strabo (572 D, 571 D, Euripidem secutus, 615) Teuthrantem Angae filiolum pro suo habuisse narrat, Telephum adolevisse, quasi regis esset filius et heres, Teuthrante mortuo regnum accepisse. Qua ex re profecta est narratio Telephum Teuthrantis fuisse filium, quam apud Stephanum Byzantium s. v. *Τευθρανία* legimus (p. 618 Meineke): *ὁ Τεύθρας δὲ τὴν Αὔγην ἔγημε καὶ τὸν Τήλεφον ἐπαιδοποιήσατο.* Ad eandem fabulae formam spectare mythographum Vaticanum primum hoc loco commemoro, qui exhibet (p. 204): Teucontus genuit Palamedem, Nauplius genuit Telephum. Nam apertum est 'Teucontus' ex 'Tenthras' corruptum esse, patrum nomina locos commutasse: 'Nauplius genuit Palamedem, Teuthras genuit Telephum'. Ei autem scriptores, qui Telephum in Arcadia adolevisse tradunt, in eo consentiunt Auges filium adultum in Mysiam immigrasse, matrem invenisse, Teuthrante mortuo regnum Mysorum accepisse.

Apollodorus et Diodorus, ut de infantia, ita de Telephi itinere Mysio in universum congruunt: Cuiusnam filius sit, oraculum rogat Delphicum, in Mysiam ad Teuthrantem ire iussus ab eo comiter excipitur. Sed Teuthrantem filii loco eum accepisse Apollodorus, filiam Argiopen ei in matrimonium dedisse Diodorus narrat. Ab hac fabulae forma diversa est altera ab Aeschylo et Sophocle usurpata, ex qua Telephus matris fratribus necatis in Mysiam venit. Accurate narratur a paroemiographo (append. II, 85; paroemiogr. Gr. I p. 412): *Τήλεφος γὰρ ἀποκτείνας τοὺς τῆς μητρὸς ἀδελφοὺς νέος ὢν ἔφυγεν ἐκ Τεγέας, χρόνῳ δὲ ὕστερον μὴ γνωρίζων ὧν ἐστιν ἦλθεν ἐρησόμενος τὸν θεὸν τίνων εἴη γεγεννημένος. Ἡ δὲ Πυθία ἐκέλευσε πλεῖν αὐτὸν πρὸς τὸν ἔσχατον Μυσῶν καὶ ἐλθὼν εἰς Τευθρανίαν εὗρε τὴν μητέρα καὶ τῆς χώρας ἐβασίλευσε.*[4])

Fabulam ab his diversam Hyginus tradit (cf. p. 62). Praeterea Pergameni posteriore aetate originem duxerunt ab Arcadibus, qui una cum Telepho in Mysiam venissent (Ael. Aristid. XLII p. 520). Paus. I, 4, 6 de Pergamenis dicit: *αὐτοὶ δὲ Ἀρ-*

[4]) Diversum est proverbium *ἐπὶ τὸν ἔσχατον Μυσῶν πλεῖν* ab altero *ὡς ἐσχάτῳ Μυσῶν κέχρηταί μοι.* cf. schol. ad Eur. Rhes. 244; Suidas s. v. *ἔσχατος Μυσῶν.*

κάδες ἐθέλουσιν εἶναι τῶν ἅμα Τηλέφῳ διαβάντων ἐς τὴν Ἀσίαν. Quam ob rem Telephum sacrificiis colebant (Paus. V, 13, 2) et Telephidae appellabantur. Cf. de ea re Wilamowitz, Antigonos von Karystos p. 160 sq.

Atque etiam in Lycia Telephi memoria colebatur (Steph. Byz. s. v. Τηλέφιος δῆμος).

Ex narrationibus, quae ad pugnam ad Caicum commissam pertinent, maiorem partem supra tractavi (p. 8), ea reliqua est, qua fabula commutata est et infimae aetatis scriptores adducti sunt, ut in re narranda ab antiquis carminibus abhorrerent. Philostratus enim in libro, qui inscribitur Ἡρωϊκός (ed. Kays. II p. 129 sqq.) vinitorem facit Protesilai ex sepulcro exeuntis consuetudine usum et enarrantem Phoenici cuidam, quae ex ore veteris herois acceperit, cum alia tum Mysorum proelium. Atque Protesilai res gestae maxime efferuntur, heros ad Caici ripam Achillem superasse fortitudine dicitur: ἐκεῖ γὰρ πλείους ἀπεκτονέναι Μυσῶν ἢ ἐκεῖνος ἀριστεῖά τε ἀπενηνέχθαι (cap. II, 5). Quod cum veteribus narrationibus dissentire apertum est (cf. p. 5 sq. p. 10). Ipse Philostratus, quae a Protesilao accepta vinitor narrat, eis opponit, quae a poëtis tradita sunt (II, 14). Non ventis infestis depulsos ab itinere Graecos Mysiam appulisse, sed consulto in Telephum impetum fecisse verios, ne Troianis auxilium ferret. Ut inter Achivos Aeacidas, Diomedem, Patroclum, ita inter Mysos floruisse Telephum, Haemum, Martis filium, Helorum Actaeumque, Istri filios. Latius exinde narratur, quomodo Achivi naves appulerint, et Graeci et Mysi acies instruxerint, Aiax, Diomedes, Sthenelus fortiter se gesserint. Achillis gloria minuitur, Protesilai effertur laus: Τηλέφῳ δὲ ὁ Πρωτεσίλεως αὐτὸς μὲν συμπλακῆναί φησι καὶ τὴν ἀσπίδα ζῶντος περισπάσαι, τὸν δὲ Ἀχιλλέα γυμνῷ προςπεσόντα τρῶσαι αὐτὸν εὐθὺ τοῦ μηροῦ καὶ ἰατρὸν μὲν ὕστερον ἐν Τροίᾳ γενέσθαι τοῦ τραύματος. Praeterea Hieram tradit Telephi uxorem aliasque Mysorum mulieres Amazonum ritu dimicasse, reginam, Helena pulchriorem, a Nireo necatam esse. Quae nova et inaudita legimus, Philostrati inventioni tribuerim neque quidquam cum Welckero (ep. cycl. p. 139) de Cypriorum argumento ex eo concluserim (cf. Urlichs, Scopas p. 26).

Hoc loco affero posterioris aetatis scriptores Telephi fabu-

lam cum Italia coniunxisse. Dionys. Hal. (I, 28) Tyrrhenum Telephi filium fuisse refert, Stephanus Byz. (s. v.) Tarchonium, Etruriae urbem, a Tarchone, Telephi filio, nomen accepisse tradit. Plutarchus Romam Telephi filiam fuisse a nonnulis narrari commemorat (Rom. 2). Tyrrhenum et Tarchonem Telephi filios esse in Lycophronis Alexandrae parte extrema legimus (cf. p. 66); Philostratus (II, 18) eumque secutus Tzetzes (ad Lyc.) Hieram eos peperisse tradunt; cf. etiam Suid. s. *Λατῖνος*.

§ 12. Poëtae Romani.

Primum de tragoediis agam, quas de Telephi fabula poëtae Romanorum tragici composuerunt. Ex his Ennius et Accius eandem fabulae partem quam Aeschylus et Euripides in Telephis tractaverunt. Atque Telephi Ennianae fragmenta (Ribb. trag. Rom. frg. p. 56) attuli, ubi de Euripidis Telepho verba feci, ad cuius exemplum fabulam Ennianam compositam esse apertum est (cf. p. 45). O. Ribbeckius praeter ea fragmenta, quae laudato poëtae et fabulae nomine servata sunt, alia huic fabulae tribuit (Röm. Trag. p. 104 sq.). Utrum fabulam Graecam poëta accurate expresserit an singulis rebus mutatis in scaenam produxerit, diiudicari non potest.

Ex Accii fabula quindecim fragmenta servata sunt (Ribb. l. l. p. 214 sq. cf. Röm. Trag. p. 344 sq.; Iahn, Teleph. u. Troil. p. 37 sq.), ex quibus primum efficitur eandem fabulae partem fuisse tragoediae argumentum, quam Aeschylus, Euripides, Ennius Telephis tractaverunt (frgg. I. II), deinde in eo diversam fuisse ab Euripidis et Ennii fabulis Accianam, quod non finxit Telephus, ne agnosceretur, se mendicum et pauperem esse, sed re vera regno Mysorum privatus est (VI. VII). Haud scio an ad hanc fabulae formam spectet Harpocration s. *Μυσῶν λεία* (cf. Crusius, anal. ad paroem. p. 125. 150): *παροιμία τίς ἐστιν οὕτω λεγομένη, ἥν φησι Δήμων ἐν μ' περὶ παροιμιῶν τὴν ἀρχὴν λαβεῖν ἀπὸ τῶν καταδραμόντων ἀστυγειτόνων τε καὶ λῃστῶν τὴν Μυσίαν κατὰ τὴν Τηλέφου τοῦ βασιλέως ἀποδημίαν.*

Atque nobili et elato animo esse Telephum, non fractum rebus adversis, fragmentis dilucide ostenditur. Quamquam miseris

et sordidis vestibns indutns est, tamen non mendicnm illum esse, sed regii generis cognoscit, qni frgg. III. IV. V pronuntiat. Qua de cansa Geelius (Eurip. Teleph. p. 3), Iahnius, Ribbeckins verisimile esse iudicant Accium ad Telephi Aeschyleae exemplum fabulam composnisse. Sed recte Ribbeckins negat certam caussam afferri posse, qua coniectura comprobetur. His expositis fragmenta afferam et quae pauca ex eis concludere liceat explicabo.

Prima in fabulae parte docemur de belli causis:

I. Quantam Tyndareo gnata et Menelai domus
Molem excitarit belli pastorque Ilius.

Graecorum exercitus describitur:

XIV. aere atque ferro fervere
Insignibns florere.

Myrmidones diutius morari nolunt:

II. Iam iam stupido Thessala somno
Pectora languentqne senentque.

Pugna ad Caicum commissa, Graecorum reditus commemorantur:

XV. Flucti cruoris volverentnr Mysii
XIII. remisque nixi propiter navem in fugam
Transdnnt subter saxa ad laevam, qna mons mollibat mare.

Haec verba Ribbeckius collato schol. Hom. Il. *T* 326 Achillem dixisse pntat e Scyro advenientem, qna cum re frg. II non prorsus convenit. Antequam in scaenam prodit Telephus, a nuntio describitur:

III. ... qnem ego ubi aspexi, virum memorabilem
Intui viderer, ni vestitus taeter, vastitudo,
Maestitudo praedicarent hominem esse ...
IV. Nam etsi opertus squalitate est luctuque horrificabili,
V. Profecto hauquaquam est ortus mediocri satu.
X. qui neque cuiatis esset umquam potuimus
multa erogitantes sciscere.

Telephus ipse verba pronuntiat rege dignissima:

VI. ... nam si a me regnum Fortuna atque opes
Eripere quivit, at virtutem nec quiit.

quae miratus Graecornm aliquis dicit:

VII. Nam huius demum miseret, cuius nobilitas miserias
Nobilitat.

Oracula commemorantur:

IX. Pro certo arbitrabor sortis oracla adytus augura.

Achilli fortasse dicuntur verba:

XI. studiumque iteris reprime (cf. frg. II).

Agamemnonem iratum aliquis sedare studet:

VIII. Proinde istaec tua aufer terricula atque animum iratum
comprime.

Num in Accii fabula scaena illa fuerit, ubi Telephus cum Oreste ad aram confugit, haud apparet ex fragmentis. Weckleinius (l. l. p. 212 adn.) ex frgg. III. IV. V. X concludit: 'Er muss also an irgend einem Altar des Hauses oder vielmehr eines nahen Tempels sitzen mit dem Orestes im Arm'.

C. Iulium Caesarem Strabonem fabulam 'Teuthrantem' composuisse traditum est, unum fragmentum servatum. Ad eam tragoediam Hygini fabulam C, quae Teuthras inscribitur, redire Ribbeckius (Röm. Trag. p. 615) suspicatur (cf. supra p. 62 sq.).

Praeterea Ribbeckius (l. l. p. 310 sq.) coniecit, ut in fabula illa Parthenopaeus esset comes Telephi, ita in Atalanta Pacuviana Telephum una cum Parthenopaeo proficisci ad matrem Atalantam quaerendam.

Posteriore aetate Telephi fabulam in scaenam productam esse Iuvenalis testatur (I, 5).

Ex poëtis lyricis Romanorum nemo Telephi fabulam accuratius tractavit.

Nonnulli poëtae eam obiter attigerunt:

Horat. epod. 17, 8.

movit nepotem Telephus Nereium
in quem superbus ordinarat agmina
Mysorum et in quem tela acuta torserat.

Horat. epist. III, 2, 95. cf. supra p. 37.

Propert. II, 1, 63.

Mysus et Haemonia iuvenis qua cuspide vulnus
Senserat, hac ipsa cuspide sensit opem.

Ovid. Met. XII, 111.

vel cum purpureus populari caede Caicus
fluxit opusque meae bis sensit Telephus hastae.

XIII, 171. ego Telephou hasta
pugnantem domui, victum orantemque refeci.

Heroid. IX, 49.
non ego Partheniis temeratam vallibus Augen.

Trist. V, 2, 15.
Telephus aeterna consumptus tabe perisset,
Si non quae nocuit, dextra tulisset opem.

ex Ponto II, 2, 26.
Profuit et Myso Pelias hasta duci.

In Senecae Troadibus Pyrrhus Talthybio dicit:

215. In hospitali Telephus regno impotens
Dum Mysiae ferocis introitus negat
Rudem cruore regio dextram imbuit
Fortemque eandem sensit et mitem manum.

Sen. Herc. Oct. 366 sq.
Stat. Silv. III, 1, 40
IV, 6, 52
} cf. supra p. 31.

Claudian. Carm. min. V (XXXIX), 46 sq.
Sanus Achilleis remeavit Telephus herbis
Cuius pertulerat vires, et sensit in uno
Letalem placidamque manum. Medicina per hostem
Contigit et pepulit, quos fecerat ipse, dolores . . .

§ 13. Scriptores Romani.

Cicero uno loco Telephi sanationem commemorat (pro Flacco 29, 72).

Quae apud Hyginum de Telepho legimus, supra tractavi (cf. pp. 21. 43 sq. p. 62 sq.).

Ex posteriore aetate servatum est opus de bello Troiano confectum et Dictyi Cretensi, Idomenei comiti, adscriptum, in quo praeter res ab ipso scriptore excogitatas multa ex antiquis fontibus fluxerunt.[1]) Ad Telephum spectat II, 1 sq. Atque cum

[1]) cf. pp. 9. 47; Urlichs, Scopas p. 28.

antiqnis carminibns convenit Dictys et in eo, qnod Graeci ab Anlide in Moesiam — nam Moesiam pro Mysia dicit scriptor — ventis delati snnt, ab Telepho repnlsi in Graeciam revertuntnr, Telephus Argis sanatur, et in rebus singulis. Thersander ab Telepho necatnr (cf. p. 5), eius corpns Diomedes ex proelio servat; nam hoc quidem antiquis temporibns narratum esse ex vase snpra allato verisimile fit. Agamemnonis et Menelai discordias refert, quas Euripidem in Telepho tractasse supra vidimns (p. 47). Qnam ob rem etiam alia apud hunc scriptorem ex antiqnis fontibus petita esse pnto. Velut Tlepolemnm legatnm a Graecis ad Telephnm missum esse ex Urlichsii sententia Dictys carminibns epicis debet (qnamquam scriptorem ipsa illa carmina inspexisse prorsus incredibile est). Atqne in temporum ordine enm fontem secutum esse ad tragicos spectantem supra ostendere conatus snm. Sed in fontinm inopia vix potest ostendi, qna ratione et via qnae singnla apnd Dictyem tradita snnt, cum antiquioribns scriptoribus cohaereant.

Eurypyli res gestas refert Dictys IV, 14 sq., in eo discrepans ab aliis scriptoribus, quod praeter vitis donum eo persuadet Priamus Telephidae, qnod Cassandram se illi in matrimonium daturnm esse pollicetur.

Dictyis narratione usum esse Iordanem in Geticis (c. IX p. 70 Mommsen) Cassiodorium secntum, supra vidimus (cf. p. 8 adnot. 12).

Fabulam maxime perturbavit Dares Phrygius, qui refert cap. XVI (p. 20 Meister), Telephum nna cum Achille ad Mysiam praedandam mitti, Teuthrantem servare ab Achille vulneratum, ab illo regno Mysiae donatum esse.

§ 14. **Opera artificum.**

Qnoniam exponere conatns sum, quomodo a scriptoribns, imprimis a poëtis tragicis, Telephi fabula tractata esset, nnnc opera artificnm, quae ad eam pertinent, ennmerabo, paucis verbis describam, quanam ratione cum scriptornm operibns coninnctae sint explicabo. Atqne initio capto ab eis monnmentis, in qnibus stuprum Augae ab Hercnle oblatum repraesentatur,

qnae ad Telephnm ipsnm spectant ordine tempornm servato afferam.[1])

I. Hercnles et Auge.

Huc pertinent tres picturae Pompeianae, quae ad exemplnm commune redeunt. cf. Robert, Ercole ed Ange sopra pitture Pompeiane. Annali dell' Inst. 1884 p. 75 sq.

A. Helbig n. 1142. Zahn, Ornam. n. Gem. v. Pomp. etc., II, 28. Panofka, Archaeol. Z 1844, tab. 17 p. 273. R. Rochette, choix de peintures, tab. VII. Minervini Mem. dell' acc. ercol. V, 3. cf. Iahn, Arch. Beitr. p. 233.

B. Notizie d. scavi di ant. 1877 p. 331. Knapp et Mau, Bullett. dell' Inst. 1879 p. 100. Annali 1884 tav. d' agg. H.

C. Notizie 1878 p. 42. Mau l. l. p. 49. Annali 1884 tav. d' agg. I. K.

In rivi ripa Auge coronata (ornata monili et brachialibns C) cum mnliere comitante item coronata vestimentum lavat. Perterrita Hercnlis subito adventn Auge, quae sinistro nititur genn et dextera manu pannnm tenet, ocnlos ad eum convertit et comiti porrigit manum sinistram auxilium petens; Hercnles enim barbatus (A B; imberbis C), coronatns, pelle leonis indutus, sinistra iu clava nixus dextera Augae vestem comprehendit (in A ante pedes Herculis arcus et pharetra cernnntur). Utrnm genu dextero iu saxo nitatur necne, et qni delineaverunt et qui descripserunt imagines dissentinnt (Robert l. l. p. 78). Anges comes[2]), ne violet dominam, Hercnlem impedire stndet. Inxta Herculem quiete mnlier stat, corouata, longa veste induta, qnae in A Auges comitis bracchium comprehendere videtur. In B et C addita est femina alata (alae stellis ornatae iu C), cnins ca-

[1]) Ad Telephi fabulam spectant anaglypha Pergamena, ab Humanno paucos abhinc annos effossa, quae noudnm edita sunt, breviter descripta a Conzio (Iahrbnch der königlich preussischen Kunstsammlungen 1880 p. 180 sq.). cf. Overbeck, Gesch. d. griech. Plast. II³ p. 254 sq. Cnm maximam partem mutilata sint anaglypha aut parvis exemplis repraesentata aut paucis descripta, ut de eis difficile sit diiudicare, tantum quae a Conzio ad Telephi fabulam relata sunt, suo loco afferam.

[2]) De comitis aetate iu A Helbigius et Wilamowitzius (an. Eur. p. 186), in B Knappius et Mau dissentiunt.

pnt coronatnm, in spectatores conversnm, nimbo et radiis circumdatur. Manibus tenet ramum taeniis ornatum, in pectore Gorgonis caput parvnm gestat. In A muri et montis partes, in B arbores et montes conspiciuntur.

Auge igitnr cum una comite vestem lavans ab Hercule opprimitur. Neque enim assentior Roberto, viro doctissimo, qui feminam iuxta Herculem stantem Angae comitem esse censet: 'Atterita dall' improvviso apparire di Ercole dessa non è capace di mnoversi' (p. 80). Nam primnm os eius in Herculem advenientem conversum esse oporteret, si comes esset Auges. Deinde in A mannm servae retinere videtur eoqne indicare se Herculis incepto favere. Neque enim eodem modo puto figurarum motus explicari debere in A atque in B (Rob. p. 79). Tum in B et C arte cum femina alata eam coniunctam esse censeo. Quas ob causas deam esse eam, quae una cum altera dea aspicit Herculis impetum (fortasse favet incepto) existimaverim. Atque etiam in Herculis motn explicando a Roberto dissentio, qui probata eorum sententia, qui in saxo nixum Herculis genu seu cernebant seu opinabantur, ita rem explicat: 'Camminando sopra la cima della montagna Ercole ha scoperto laggiù nella valle e snlla riva d' un ruscello la bella Auge; colto d' amore è sceso con rapidi passi per il pendìo; vicino al piè della montagna, piantata la clava sul suolo, si è lanciato a basso . . . . la gamba destra è posta sul pendìo del monte, ma già il piè sinistro tocca il piano . . .' Sed etsi probamus illam sententiam, aliqno saxo niti heroem dextero pede, tamen me idem cernere atque virum doctissimum nego. Neque enim qnadrat ad eam motus explicationem pedis sinistri motus, quo mihi videtur excludi Herculem ab altiore loco descendere. Itaque Herculem puto accurrere dextero ex latere et Augam captans sinistra manu in clava (dextero genu in saxo) niti. Ceterum hominis temulenti speciem mihi praebere videtur (cf. Knapp l. l. p. 102).

His expositis num cum scriptore aliquo consentiant effigies quaeramus. Atque Cavedoni et Panofka, qui in A hanc fabulam repraesentatam esse primi cognoverunt, Pausaniae locum attulernnt supra exscriptum (VIII 47, 4; cf. p. 68), quo ad fontem prope ad Minervae templum situm Herculem Augam compressisse traditum est. Hanc sententiam Robertus non probat ob

eam causam, quod pictor in montis solitudine scaenam posuerit. Neque vero in imagine quidquam video, quod a Pausaniae narratione abhorreat. Nam vix mirum, pictorem arboribus et montibus scaenam exornasse. Atque Robertus in monte Parthenio scaenam esse suspicatur. Fuerunt sane, qui similiter rem narrarent; conferantur Callimachi scholium supra allatum (cf. p. 65) et Ovidii locus (Heroid. IX, 49; cf. p. 76)[3]. Sed videamus utra praeferenda sit sententia. Augam sacerdotem eiusque comitem deae vestimentum lavare homines docti suspicantur, Robertus probat. Et mihi verisimilius videtur esse hoc prope ad templum quam in monte Parthenio fieri. Herculem autem exceptum epulis ab rege Aleo accurrere et sacerdotem violare apud fontem, vulgata est fabula. Quam ob rem mihi probabilis videtur prior sententia neque assentior Roberto. Reliquum est, ut quaenam sint feminae aspicientes explicetur. Atque alteram fontis deam esse conicio, alatae autem deae nomen indere non audeo. Knappius (l. l. p. 102) Nemesim aut aliud eiusdem generis numen, Mauius Noctem esse censet (l. l. p. 49) Sed aliqua cum probabilitate Robertus contendit deam eandem esse, quam in alia pictura Pompeiana (1143; cf. IV 2, D) repraesentatam videmus. *Παρθένον* esse iudicat, in monte Parthenio scaenam esse ea significari. Neque tamen hac coniectura adducor ut cum Roberto improbem priorum interpretum sententiam. Et difficultates coniecturae obstantes minime effugerunt ipsum virum doctissimum (p. 86 sq.). Nonne scaenae, quae Tegeae habuit locum, pictor bene addere potuit deam illam, ut montem Parthenium vicinum esse significaret, praesertim cum Parthenius in tota Auges et Telephi fabula summi momenti sit?

Herculis et Auges sacerdotis statuas se vidisse dicit Christodorus (cf. p. 66 sq.): sed in hoc testimonio nihil quod ad nos pertineat inesse ostendit C. Langius, Rhein. Mus. XXXV p. 121 sq.

Huc spectare videtur anagl. Perg.: 'Noch einmal auf einer anderen Platte ist Herakles dargestellt vom Löwenfell umwallt, die Keule geschultert; im Grunde ist sehr detaillirt ein Eichbaum dargestellt; von der Scene ist sonst nichts erhalten' (Conze; Overb. fig. 133 c).

[3]) Non multum tribuendum esse Ovidii loco comparatio docet loci Statiani (Silv. III, 1, 40; cf. p. 31.).

II. Aleus et Auge.

Ad Telephi infantiam spectare anaglyphum urnae Etruscae editum ab R. Rochette (Mon. inéd. LXVII A 1) O. Iahnius ostendit, Teleph. u. Troil. p. 46 sq. 54.

In humili ara sedet mulier formae iuvenilis, Auga, Minervae simulacrum valde mutilatum complectens, ut contra Aleum patrem iratum propter Telephi partum deae praesidium imploret. Ante eam stat homo vestitus tunica et chlamyde, qua laevam manum implicavit. Qui quemnam gestum dextera egerit etsi propter manum et os mutilata non plane dignoscimus, alloqui tamen videtur mulierem. Nauplium esse sacerdotis facinus vindicare iussum ab Aleo aut Augae amicum servumve fidelem, cui infantem tradere ei in animo sit (Eurip. frg. 279) Iahnius suspicatur. Deinde mulierem videmus Telephum infantem in ulnis tenentem eumque porrigentem ad virum barbatum, qui se avertens dextera vehementer sublata infanti minitari videtur. Hic Aleus est, qui nepotem sibi oblatum repudiat misericordia non commotus.

Hoc anaglypho fabula ita repraesentatur, ut ab Euripide in Auga dramate erat conformata (cf. p. 24 sq.). Videtur autem duas scaenas dramatis quasi in unam contraxisse artifex, sed ita, ut qua in re summa posita sit actionis, optime exprimatur.

Ad Augam Telephum infantem famulae dantem exponendum Winkelmannus rettulit anaglyphum Borghesianum (Mon. ined. tab. 71 p. 96; Visconti, Mon. Borgh. 33; Annali II tav. d' agg. G). Sub platano, quae magnos ramos pandit, in sella sedet femina, pedes in scamno ponit et manibus comprehendit infantem pannis amictum, quem famula ei porrigit. Sub sella cervula sedet. Neque enim Winkelmanno assentior famulae a domina infantem tradi. Atque hac quidem re coniectura viri summi infirmatur. Et Panofka (Annali II p. 154) eumque secutus Iahnius Winkelmanni sententiam reiecerunt, Helenam infantem esse a Leda nutritam censuerunt. Schreiberus cum certam interpretationem inventam esse neget (Arch. Z. 1880 p. 155 adn. 49), hoc inter ea anaglypha enumerat, quae ad picturae habitum accedunt. Videtur mihi probabile aut vitae cotidianae scaenam repraesentatam esse statuere aut, si ad scaenam mythologicam simulacrum referamus, Telephum a matre nutritum cognoscere. Nam etsi cerva non cogit ad Telephum simulacrum aliquod referre, tamen

vix dubitabimus propter eam primo loco de Telephi fabula cogitare.[2b])

III. Auge in Mysiam venit.

Antequam simulacrum ad hanc fabulae partem nuper relatum tracto, anaglyphum Pergamenum, quod ad Augam e Graecia profecturam spectare videtur, affero a Conzio ita descriptum (Iahrb. d. königl. preuss. Kunsts. 1880 p. 184): 'Ein Schiff, so scheint es, wird von vier Werkleuten in Stand gesetzt; von einem vollbekleideten Manne mit Gürtel und Schwertriemen, der von links her herantritt, ist nur ein Rest erhalten. Oben auf Felsen sitzt eine stark verhüllte Frau, zusammengebeugt und wie in Trauer, vor ihr stehen zwei Begleiterinnen. Man denkt hier an Auge, die über Meer soll.'

Augam in Mysiam in cista advenientem in nummo Elaeae, urbis in Aeolide sitae cognovit F. Marxius (Mittheil. d. deutsch. archaeol. Inst. in Athen X p. 21 sq.; cf. Imhoof-Blumer, Monnaies Grecques p. 274).

Nummus, cuius in parte aversa M. Aurelius repraesentatus est, in reversa haecce habet. Ex magna cista surgit mulier longo chitone vestita, quae sinistra in cistae margine nititur, dextera manum hominis exomide vestiti prehendit, ut ab eo sublevetur. Praeter hunc tres homines item vestiti adsunt, quorum unus cistae tegimen tenet, alii mirati rem inexspectatam manus tollunt. In rete magno cista esse videtur. Laeva ex parte rostrum, dextra gubernaculum videmus, ex quibus rebus efficitur, homines piscatores esse, ad maris litus rem agi. Apertum est eos magno rete cistam implicatam ad litus traxisse, aperuisse, maxime miratos esse, quod ex ea mulier surgit. Hanc Augam esse Marxius ostendit. Etenim Elaea Pergamenorum portus est (Strabo XIII, 615); quam ob rem optime in nummo illius urbis Auga repraesentatur (cf. p. 71). Neque vero cum eis, quae ex scriptoribus de Auge in Mysiam deportata audimus, haec imago consentit, ubi aut cum Telepho in cista includitur, aut alio modo sola in Mysiam venit (p. 68 sq.). Sed Marxius cum duas res cogitari posse censeat, aut Augam gravidam in cistam inclusam in Mysiam venire, aut parto Telepho in Arcadia patris iussu

[2b]) Haud scio an inter hoc simulacrum et anaglypha Pergamena certa ratio intercedat.

in cista inclusam eo appellere, posteriorem suo iure praefert fabulae formam, quae duarum, quas supra discrevimus, fabulae formarum coniunctione effecta est.

Hoc loco commemoro anaglyphum Pergameuum, quod ad Augae et Teuthrantis nuptias refertur: 'Die eine Hälfte der Darstellung einer Eheschliessung bietet die Platte gewiss' (Conze l. l. p. 185).

In speculo Etrusco CLXIX Gerhardus cognoscit Venerem, Teuthrantem, Augen. Sed mihi videntur desiderari certa signa, quibus imago huic fabulae vindicetur. Augae, Teuthrantis uxoris, Mysiae reginae sepulcrum posteriore aetate Pergami ostendebatur: Paus. VIII 4, 6 *καὶ νῦν ἔστι μὲν Αὔγης μνῆμα ἐν Περγάμῳ τῇ ὑπὲρ τοῦ Καΐκου, γῆς χῶμα λίθου περιεχόμενον κρηπῖδι, ἔστι δὲ ἐν τῷ μνήματι ἐπίθημα χαλκοῦ πεποιημένον, γυνὴ γυμνή.* Polygnotus in lesche Delphica Augam pinxit una cum Iphimedia apud inferos stantem (Paus. X 28, 4; cf. Iahn, Teleph. u. Troil. p. 63 adn. 73).

IV. Hercules Telephum invenit a cerva nutritum.

Cf. Iahn, Teleph. u. Troil. p. 57 sq.; Arch. Aufs. p. 160 sq.

Signa, quae ad hanc fabulae partem pertinent, in tres partes divido, ex quibus prima repraesentatur Telephus a cerva nutritus, altera Hercules aspiciens Telephum cervae uter sugentem, tertia Hercules Telephum in ulnis tenens.

1.

A. Pausanias vidit in monte Helicone opus ad Telephi infantiam pertinens (IX 31, 2): *ἐνταῦθα καὶ Τηλέφῳ τῷ Ἡρακλέους γάλα ἐστὶν ἔλαφος παιδὶ μικρῷ διδοῦσα,* ex quibus verbis efficitur, Herculem patrem non pictum esse, quem in signorum maiore parte videmus.

B. Nummus Tegeaticus; Eckhel D. N. II 298 'Cerva puellum lactans'; Pellerin, recueil de Medailles III pl. C. 58. 59 (haud recte Tegeae Cretensi attributus).

C. Nummi Capuani:

a. I. Friedländer, d. oskisch. Münzen, tab. III n. 19; cf. p. 13. In parte aversa Herculis imberbis caput, in reversa Telephus a cerva nutritus.

b. Ibid., tab. III n. 20; Mionnet suppl. n. 259; Cavedoni, spicil. num. p. 14. In p. av. iuvenis caput pileo Phrygio opertum (Telephi), in rev. = *a.*[3])

Ex his nummis videmus, iam antiquiore aetate Capuae vulgatam esse Telephi fabulam. Nam ante annum 211 a. Chr. n. nummi confecti sunt.[4])

2.

A. Anaglyphum Pergamenum mutilatum. Overb., Gesch. d. griech. Plast. II³ p. 254 sq., fig. 133 a; Arch. Z. 1882 p. 261; Conze Iahrb. p. 184.

Ante platanum stat Hercules clava nixus, in qua pellis leonina superposita est, dexteram manum sinistro humero admovet, aspicit Telephum filium, qui cervae humi iacentis uter sugit. Iuxta Herculem saxum videmus.

B. Anaglyphum fictile. Campana, antiche opere in plastica, tab. XXV; cf. Iahn, Aufs. p. 160.

In specu, supra quem arbor ramos pandit, cerva stat, Telephum parvum nutriens caputque ad infantem reflectens. Hercules ante specum stat, sin. manu clavam tenet, dexteram ori admovet, filium aspicit, aliquid secum reputare videtur (de inscriptione cf. Iahn).

C. Atramentarium argenteum. Bullett. arch. Nap. n. XV, tom. VII, 6; cf. Minervini l. l. 121 sq. Figurae stilo incisae. — Hercules in saxo sedet (in sin. p. conversus) et caput reflectit ad cervam, quae infanti uter praebet. Iuxta arborem duae figurae cernuntur magis detritae, quam ut cognoscerentur.

D. Pictura Herculanensis. Helbig 1143 (cf. 226) Pitt. d' Ercol. I, 6; Mus. Borbon. IX, 5; Zahn III, 1 sq.; Millin, Gall. mythol. 116. 451. cf. Helbig, Unters. p. 152 sq.; Iahn l. l. p. 62; Weizsäcker, Arch. Z. 1882 p. 257; Robert, Eratosth. catast. rel. p. 247.

Telepho infanti cerva utera praebet ante feminam rosis coronatam, speciosa veste exornatam, quae in saxo sedet dextero cubito nixus, sinistra manu magnum ramum tenens. Iuxta eam fiscina frugibus referta in saxo posita est, post eam Paniscus stat, dext. fistulam, sin. pedum tenens. Altera ex parte Hercules barbatus, coronatus, pelle leonina indutus, pharetra exorna-

[3]) cf. Friedl. n. 21; Daniele, num. Capuan. p. 61.

[4]) cf. Helbig, Unters. über d. campan. Wandmal. p. 101; supra p. 72.

tus clavae innititur et filium aspicit, quem ei dextera porrecta ostendit femina alata, coronata, quae post Herculem super saxum prospectat, sinistra spicas tenet. Ante pedes Herculis aquilam et leonem videmus. — Mulierem sedentem Arcadiam esse interpretes consentiunt. Deam alatam Victoriam esse Wilamowitzius (anal. Eurip. p. 188 adn. 4), Virginem Robertus censet collato Eratosth. catast. frg. IX: 'pictor non sine elegantia ut Parthenium indicaret, *Παρθένον,* quam eius montis deam esse aut ipse finxerat aut apud poëtas Alexandrinos legerat, repraesentavit'. Hanc sententiam probat A. Gerberus (Iahn. ann. vol. suppl. XIII p. 311).

E. Nummus aëneus Antonini Pii imperatoris. Müller A. D. 70. 391; Arch. Z. 1882 p. 264; Eckhel D. N. VII, 34. 'Hercules stans iuxta arborem puellum in monte expositum et a cerva lactatum contemplatur, in montis vertice aquila'.

F. Nummus Tegeae. Münter, Bibl. d. alt. Litt. u. Kunst IX p. 50 sq., tab. n. 7. Antonini Pii. — Iuxta arborem Telephus a cerva nutritur. Adstat Hercules aut pastor, qui illum invenit. (Exemplar negligenter delineatum est.)

G. Nummus Pergami. Choiseul-Gouffier, voyage pittoresque II 5, 3; Eckhel D. N. II, 468. Commodi. — Maxime cum E consentit. Addita est in imo montis lacerta (cf. Iahn, T. u. Tr. adn. 77).

H. Nummi Germae urbis in Mysia prope Pergamum sitae.

a. Septimii Severi. Streber, Abh. d. Münch. Ak. d. W. 1835 tab. III, 2 p. 191 (exempl. Monac.); Eckhel D. N. II, 469; Mionnet, suppl. n. 514 (ex. Paris.).

'Hercules nudus ex adverso stans dextera tergo admota, sinistra clavae exuviis leonis superinductis cippo impositae innititur; pro pedibus cerva humi prostrata, atque Telephus dexteram adversus Herculem tendens; in area aquila expansis alis in apice montis'. (Streber.)

b. Caracallae. Waddington, Révue numistmat. 1852 tab IV b p. 89 sq. Typi haud diversi ab antecedentibus.

I. Nummus Midaii, urbis Phrygiae. Vaillant, rel. num. e mus. Fr. de Camps, p. 63.

K. Gemma Vindobonensis. Eckhel, choix de pierres gravées, tab. XXVI p. 57 sq. — Ante columnam rotundam Hercules

nndns stat, dextero pede nixns saxo imposito, dextera clavam tenet. Ante Herculis pedes cerva sedet cornuta, quacum Indit Telephns parvus. In rnpe aquila sedet alis expansis.

L. Gemma huic simillima. Impronte gemmarie dell' Instituto III, 67.

Aqnila, qnam in horum signornm parte maiore videmus. Iovis dei praesidium significari Eckhelius docet collato Qninti Smyrnaei loco, qnem supra ascripsi (p. 66).

Weizsaeckerus (Arch. Z. 1882 p. 255 sq.) alios secntus homines doctos[5]) contendit Herculem mnsei Neapolitani, qnem Farnesinum vocant, a Glycone desnmptnm esse ex artificis Pergameni opere, in quo Hercules repraesentatns esset Telephnm contemplans a cerva nutritum aquila in rupe sedente. Quod ut comprobetnr, componit exemplnm operis eiusmodi, nsus anaglypho Pergameno (A), nummo Pergameno (G), pictura Herculanensi (D), Verum constat ante aetatem artis Pergamenae Hercnlis Farnesini exemplar confectum esse (Helbig, Unters. p. 152; Friederichs-Wolters, Bausteine n. 1265 p. 451). Itaqne qnod de opere illo magnifico coniecit Weizsaeckerus, haud probandum est. Sed hoc quidem verisimile, Pergami fuisse opus, ad quod et pictnra Herculanensis et nnmmi redennt. Nam ex nsu veterum in nummis opera praeclara, quae in nrbe servabantur, repraesentata snnt. Et in hac re Iahnins, Helbigius, Weizsaeckerus consentiunt. Sed in eo discrepant, qnod Helbigius pictnram, reliqni opns statuarinm Pergami fuisse indicant. Et qnamqnam a Weizsaeckero cansas satis graves prolatas esse me non effugit, tamen rem non diindicaverim.

Anaglyphnm aëneum Etrnscum, quod Wilamowitzius (anal. Eurip. p. 188 adn. 4) ad Teleplnm rettulerat, ad Dionysinm spectare infantem Rohdius ostendit aliis operibus collatis (Annali 1884 p. 30 sq.; cf. tav. d' agg. E. Heydemann, Dionysos' Geburt und Kindheit p. 28).

3.

A. Signnm marmoreum mus. Paris. Clarac, musée de sculpt. tab. 302 n. 450; cf. V p. 27 n. 2002.

Hercules, pelle leonina ornatns, qnam super caput induxit,

[5]) Dnc de Luynes, Nouv. Ann. de l' Inst. I p. 60; Iahn, Tel. n. Troil. p. 63 adn. 75; Arch. Aufs. p. 162.

dext. manu clavam, sin. infantem parvulnm tenet, quem Telephum esse manifestum est ex eo, qnod sin. ex latere herois cerva stat, quae caput infantem versns tollit. Signi nounullae partes suppletae sunt (Clarac l. l. p. 28).

B. Signum marmoreum mus. Pio-Clement. (II, 9). Clarac, tab. 800, V p. 27 sq. n. 2003; Millin, gall. mythol. 115. 452. cf. Gerhard, Beschr. d. St. Rom II b 226 sq.

Hercules pelle leonina iudutus dextera clavae innititur, sinistra Telephum tenet. Hoc quoqne signo Herculem Telephnm tenentem repraesentari, non Aiacem parvulum (Winkelm., mon. ined. trattato prelim. p. 99), ostenditur signi A comparatione. De partibus suppletis cf. Clarac p. 28.

C. Signnm marmorenm mus. Avennici. Pauciandi, Mon. Peloponnes. Rom. 1761 p. 235; Collezione di tutte le antichità del mus. Naui n. 190; Gerh., ant. Bildw. 113, 3. cf. Arch. Z. 1853 p. 396; Stephani, ausruh. Heracl., p. 165 n. 23.

In basi quadrata, cuius in fronte Telephus et cerva caelati sunt, ante columnam qnadratam Hercules stat, sinistra ala clavae innixus in saxo impositae, in qnam pellis leonis superstrata est. Caput, dexterum brachium, sinistri pars inferior perdita sunt. Iuxta Herculem cerva stat mntilata. Herculem Telephnm tenuisse recte coniecit Paciaudi (l. l. p. 236) collato nummo Tarsensi.

D. Herma. Gerh., Ant. Bildw. 113, 2; cf. Prodromus p. 364.

Hercules coronatus in pelle, qua brachium sinistrum implicavit, Telephum teuet.

E. Anaglyphum marmoreum mns. Vatic. (aulae Belvedereae). Gerh., Ant. Bildw. 113, 1. cf. Prodr. p. 344; Beschr. d. St. Rom II b 154; Hartwig, Heracles mit dem Füllhorn, p. 65.

Laeva ex parte Hercules stat pelle leonis snpra caput indncta, dextera clavam tenet bovis capiti hnmi sito impositam, sinistra cornu frngibus impletum et Telephnm parvulum, qui uter appetens cervae cornutae inxta Herenlem stanti manus porrigit. Herenles arcum et pharetram deposuit. Altera ex parte Liber stat, in Satyrisco nixus, cnm pardulo. — Herculis et cervae figurae Parisinis similes (A), sed mirum est heroem tenere cornu et coniuuctum esse cum Libero (cf. Müller, Haudb. 411, 2; Hartwig l. l.).

F. Opus aëneum, in Sardinia iuventum, quod servatur iu col-

lectione Gréau (Troyes). Spano, Bull. arch. Sardo I p. 51 sq.; Fröhner, les musées de France, pl. 26. cf. Heydemann, Mittheil. aus den Antikensammlungen in Ober- und Mittel-Italien, p. 79 adn. 200.

Sub arcu columnis sustento Hercules stat, imberbis, coronatus, clavam humi impositam dext. tenet, sinistro brachio pellem leonis gestat et Telephum parvulum, qui ad cervam iuxta Herculem stantem despicit. — Arcus nihil valet ad rem ipsam, ornamentum est. Totum enim opus lucernae partem esse Heydemannus monet l. l.

G. Nummus aëneus Tarsensis cum capite Maximini Aug. cusus. Millin, Gall. mythol. 115. 450; Eckhel D. N. II p. 469.

Hercules dext. clavam tenet bovis capiti impositam, sinistra Telephum, qui ad cervam suspicientem manus extendit (cf. E). Post Herculem arboris, cui insistit avis, rami conspiciuntur.

H. 'Aehnlich eine ganz kleine Statue im Antikencabinet zu Wien' Welcker; Müller, Handb. § 410, 8.

I. Gemma Vindobonensis. Eckhel, choix de pierres gravées, tab. XXVII p. 57.

In saxo, in quo pellis leonis strata est, Hercules sedet, dextera clavam tenet, sinistra Telephum, qui cervae brachia extendit.

Telephum a cerva nutritum esse primum a Sophocle commemorari supra vidimus (p. 22), sed vix dubium est, quin hoc antiquioris quoque fabulae proprium fuerit (p. 12). Quae ad 2 et 3 attuli opera artificum ad fabulae formam ab Euripide in Auge confectam redire Wilamowitzius comprobat (cf. p. 30).

V. Telephus in Mysia matrem invenit.

A. Anaglyphum Cyzicenum, descriptum Anthol. III, 2 (cf. pag. 63).

B. Vas (crater), quod edidit Minervini, Bullett. arch. Nap. VII, tab. XII.

In sede lapidea Telephus (*ΤΗΛΕΦΟΣ*) pelle (tamquam chlamyde) et calceis indutus sedet, utraque manu gladium amplectitur, quod in sinistro femore imponit. Ante eum Auge stat (*ΑΥΓΑ*) tunica et pallio amicta, pileum Phrygium in capite gestans

dexteram tollit et Telephum versus dirigit, qui gestus eam aliquid cum filio communicare significat. In altero vasis latere homo nudus brachiis extensis currit. Cum Telepho et Auge eum coniungi non opus est. — Vix dubium est, quin quomodo Telephus et Auge diu seiuncti se recognoverint, cum filius in Mysiam venisset, ab artifice fingatur. Neque tamen putaverim cum Ribbeckio recte hoc simulacrum ad fabulam ab Hygino (C) narratam referri (Röm. Trag. p. 651). Nimis quieti enim sunt motus utriusque figurae, quam ut cognoscere liceat, quae Hyginus verbis describit hisce: 'quo (dracone) viso Auge ensem proiecit et Telepho inceptum patefecit. Telephus re audita inscius matrem interficere voluit.' Huc accedit, quod is, qui scaenam illius fabulae fingere animum induxisset, draconem certe inter eos se intericientem non omisisset. Itaque qui alia opera artificum ad hanc narrationem rettulerunt, a dracone in explicationibus profecti sunt. Iahnius in duobus vasis nigris figuris exornatis Telephum destricto gladio Augam prosequi, filium et matrem a magno dracone seiungi censuit (Arch. Z. 1853 p. 145 sq.)

(C.) Berl. 1937. Overb., her. Gall. VII, 2; Arch. Z. 1853 tab. LX A.

(D.) Sèvres, antea Cab. Duraud n. 384 (de Witte). Arch. Z. 1853 tab. LX B.

Sed cum multa ab hac narratione in vasis abhorrere apertum sit, postquam Overbeckius (p. 176) ad Peleum et Thetidem C rettulit, Aiacem homines docti iudicant Cassandram persequi ad Minervae deae simulacrum confugientem, deae draconem auxilio venire Priami filiae. (cf. Benndorf, griech. u. sicil. Vasenb. p. 103 adn. 516 tab. LI; Furtwängler, Berl. Catal. n. 1937.)

Praeterea Gerhardus (Etr. Spiegel III p. 93) huc spectare putat (E) speculum Etruscum Parisin. (Chambouillet 3135) antea cab. Durand n. 1974 (de Witte), Gerh. tab. 348, in quo iuvenem videmus lorica et galea ornatum, mulierem gladio necare volentem, cui serpens sibilans obviam obsistit. Sed primum tum, cum serpens exsistit, non Telephum matri, sed Augam filio mortem minitari ex Hygini narratione exspectamus. Deinde si hanc effigiem comparamus cum speculo in tab. 238 delineato, nobis persuademus etiam in tab. 348 repraesentari Orestem et Clytaemnestram. Ut in tab. 238 Furiam videmus utraque manu magnam ser-

pentem Oresti porrigentem, ita in tab. 348 serpens Oresti obsistit et nefarie contraque naturam humanam agere filium ostendit.[6])

VI. Pugna Caicensis.

Quomodo Telephus Graecorum impetum in Teuthraniam factum repulisset, ipse ab Achille vulneratus esset Dionysio auctore, in Cypriis narratum erat (cf. p. 5 sq.). Quae ad proelium illud pertinent monumenta afferam.

A. A Scopa artifice clarissimo in fastigio templi illius, quod Tegeatae sacro vetere a. 395 a. Chr. flammis deleto aedificaverant, Telephi herois Tegeatici ἀριστεία repraesentata erat. Sed de opere summo nihil nisi pauca Pausaniae verba tradita sunt (VIII 45, 4): τὰ δὲ ὄπισθεν πεποιημένα ἐν τοῖς ἀετοῖς Τηλέφου πρὸς Ἀχιλλέα ἐστὶν ἐν Καΐκου πεδίῳ μάχη. Quae temporum ingratia perdita sunt, homines docti coniecturis restituere studuerunt. cf. Gerhard, Heilung des Telephos, p. 11; Iahn, Arch. Aufs. p. 164 sq.; Wieseler, Gött. gel. Anz. 1844 p. 1075 sq.; Welcker, Alte Denkmäler p. 201 sq.; Urlichs, Scopas p. 25 sq.; Overb., her. Gall. p. 294 sq. Atque hoc tenendum est, praeter ipsa Pausaniae verba, quae satis tenuia sunt, certa testimonia desiderari. Ex ratione, quam veteres in fastigii figuris componendis secuti sunt, aliquid concludere licet. Recte Iahnius monet (p. 165), cum Telephum celebrari oporteat, verisimilius esse eius impetum, quam vulnerationem repraesentari. Sed Gerhardi secutus coniecturam, super Thersandri corpore Telephum et Achillem dimicare, Thersandri corpus in medio prostratum esse arbitratur. Quam coniecturam improbant Welckerus (p. 201) et Urlichsius (p. 35), quod cum artis legibus non consentiat corpus in medio prostratum et Achillem Telephumque invicem gladiis invehentes in medio positos esse statuunt. Quantus fuerit figurarum numerus, vix potest enucleari. Neque enim ex eis, quae de altero fastigio dicit Pausanias, sequitur quindecim figu-

[6]) Haud scio an huc spectet Conze, Ihrb. 1880 p. 186: 'Uebrigens lassen selbst von der Zerstörung auf das Aeusserste mitgenommene Plattenüberreste Einzelheiten erkennen ... ein ander Mal eine grosse Schlange, die vor einem Vorhange, also in einem Gemach, sich aufringelt, vor ihr links die Ansatzspuren einer lebhaft bewegten, wie vor dem Ungeheuer erstaunten oder mit ihr kämpfenden Menschengestalt'.

ras fuisse. Nam primum iu his rebus saepius errat Pansanias, deinde caprum Calydonium magnam partem illius explevisse verisimile est. Panlo plures fuisse probabile est (Urlichs p. 28). Nomina heroum magna ex parte ignota sunt. Neque enim cum Iahnio (p. 166) ex Philostrati opere ea hauserim. (cf. p. 72.) Patroclum et Diomedem Thersandri corpus fereutem ex Cypriis petivisse artificem verisimile est; aliqua cum probabilitate Aiacem addit et Teuthranium Telephi fratrem ex Dictye (II, 3) Urlichsius. Signis certis non distinctos fuisse heroes singulos ex eo couclnserim, quod nihil Pausanias de eis exponit. Atque ob eam cansam abicio coniecturam, quae mihi se offerebat, Liberum iu medio positum fuisse.

B. Vas Caeretanum mus. Petropolitani (1275 Stephani). Mon. dell' Inst. VI tab. 34; Michaelis, Annali 1859 p. 267 sq.; Petersen, Arch. Z. 1879 p. 9 sq.; E. Loewy, arch.-epigr. Mittheil. aus Oestr. IV p. 220 sq.

Iu vasis latere altero videmus qnattuor viros et nnam feminam. Homo armatus in sin. p. abscedit, caput reverteus ad reliquas fignras. Alter iuvenis coucidit et sin. m. humi innititnr, dexteram porrigit viro barbato, armato, qui eam comprehendit et illnm sublevare videtnr. In dextera parte homo armatus ad feminam accedit, quae dextera instrumentum, quod thyrso simile est, tenet, sinistram in saxo imponit. Quem primo loco commemoravi Patroclum, hominem barbatum Diomedem esse inscriptiones doceut, iuxta feminam nominis reliqniae servatae sunt. Neqne vero virum doctissimnm, qui edidit hanc effigiem, effugit perturbatum videri rerum conexum. Nam cum Patrocli et Diomedis nomine proelium Caicense significetur, hac cum re minime consentiunt dexterae partis figurae. Sed Petersenus maximam eius partem receuti aetate suppletam esse ostendit, autiqna esse statuit Patrocli corporis partem superiorem, Diomedis caput, manum, scuti partem, utriusque nomina, dextera in parte hastae partem superiorem, thyrsnm, inscriptiouis reliqnias, saxi partem. Quae si coutemplamnr, intellegimus tolli, quae, ne ad Telephnm vas referret, Michaelisinm impediverunt. Atqne inscriptionis reliquiae, quas ΝΥΣΟΣ esse Petersenus iudicat (Stephani catal. tab. IX), ad Dionysum spectare verisimile est. Quam rem si cum eo coniuugimus, quod Patroclus et Diomedes eidem proelio

intersunt, non dubitamus, quin proelium Caicense repraesentatum sit (cf. Loewy l. l.). Sed quaenam deleta sint, quomodo motus figurarum explicandus sit, diiudicari vix potest. Probabilis est Peterseni coniectura, Diomedem in tergo tulisse corpus viri occisi, qua corporis et manus motus apte explicetur. Hunc Thersandrum esse probata coniectura iudicemus oportet (cf. p. 7 sq.).

(C.) Vasis Parisini, quod Millingenus (Anc. uned. monum. I tab. XX—XXIV) edidit, in latere altero Achillem et Telephum dimicantes repraesentari vir ille doctus (l. l. p. 54) indicat. Quam coniecturam suo iure refellunt Iahnius (l. l. p. 66) et Urlichsius (Scopas p. 30 sq.). Neque enim ulla re hoc proelium significatur.

(D.) Hoc loco commemoro vas mus. Britan. 835, Gerhard, Auserl. Vasenb. tab. 186, cf. III p. 77 sq., in quo imagini, quae cum Telephi fabula nihil commune habet, inscriptio addita est *ΤΕΛΕΦΟΣ*. Quam inscriptionem pro Troili nomine positam esse Iahnius censet (Teleph. u. Troil. p. 86 sq.), Gerhardus probat (l. l. p. 80). Sed etiam cum eis vasibus, quibus repraesentatur Achilles Troilum prosecutus, non plane consentit imago (cf. Welcker, Alte Denkm. V p. 459 sq.; Heydemann, comment. Momms. pag. 178).

(E.) Wieselerus (D. Ara Casali p. 31 sq. cf. Iahn, Arch. Aufs. p. 170 sq.; Overb., her. Gall. p. 296 sq.; Urlichs, Scopas p. 32 sq.; Friederichs-Wolters, Bausteine n. 2141) in arae musei Vaticani latere repraesentari iudicat Telephum Minerva adiutrice contra Thersandrum de Mysi alicuius corpore dimicantem (Dict. II, 2). Nam Achillis et Telephi certamen ne cognoscamus nonnullas causas impedire putat. Atque ut Telephum pictum esse censeat homo doctus, maxime ea re adducitur, quod ad Herculis similitudinem eum conformatum et clava exornatum esse videmus, Telephus autem fuit Herculis patris simillimus (Paus. X, 28, 4). Sed ex ipsa imagine hoc effici mihi videtur, si re vera de Telephi et Graecis res agatur, hominem occisum Graecum esse oportere (cf. Iahn l. l.). Huc accedit, quod si Telephi facinus fingere in animo habuisset artifex, Achillis et Telephi certamen, praeclarissimam fabulae partem expressisset. Quibus de causis haud probo Wieseleri coniecturam.

Praeterea Iahnius (Arch. Aufs. p. 167) acute coniecit Telephum in Graecos invehentem in nummis Tegeaticis (l. l. tab. I, 5)

repraesentatum esse ad Scopae illius operis exemplum. Neque vero ex eis nummis cum Iahnio aliquid de Scopae signo concluserim, quod alium heroem Tegeaticum pictum esse haud excluditur, ut Echemum, qui Hyllum superavit (Urlichs, Scopas p. 36), tum quod etiam in aliarum urbium nummis (l. l. tab. I, 3. 4) similis heros invenitur, neque diiudicari potest, num primi Tegeatae terrae heroem ita repraesentaverint.

Ad Telephum vulneratum rettulit Conzius anaglyphum Pergamenum: 'Wieder auf einer Platte möchte man glauben Telephos auf einem Felsen sitzen zu sehen das linke wunde Bein in die Hände fassend; eine Frau und zwei Mädchen umgeben ihn mit Binden und Salbbüchschen.'

VII. Telephus cum Oreste ad Agamemnonis aram confugit.

Cf. Overbeck, Gall. her. Bildw. p. 298 sq.; Kinkel, Eurip. u. d. bildende Kunst p. 71 sq.

I. Signa Graeca.

Vasa fictilia rubris figuris exornata. cf. Luckenbach, Verhältniss d. griech. Vasenb. zu den Gedichten d. ep. Cycl., Iahns Iahrb. XI Suppl. p. 598; Vogel, Scenen Eurip. Trag. in griech. Vasengem. p. 88 sq.

A. Mus. Brit. 724 vas Atticum quinti saec., Volcis iuventum. Iahn, Arch. Aufs. tab. II p. 172; Overbeck XIII, 9 p. 298. cf. Iahn, Arch. Z. 1857 p. 89; Robert, Bild und Lied p. 145.

Telephus, cuius femur sinistrum vinctura circumplicatur, barbatus, chlamyde indutus, gladio succinctus, coronatus sedet in ara volutis ionicis exornata, dextera manu hasta nititur, sinistra in gremio tenet Orestem parvulum manus porrigentem ad Agamemnonem patrem, qui gradu citato accedit, barbatus, chlamyde indutus, vittatus, dext. hastam tenens, et manum sinistram porrigit quasi miratus aspectum inexspectatum et locuturus aliquid Telepho. Hanc effigiem ad Aeschyleam fabulam spectare supra ostendere conatus sum (p. 19).

B. Vas Apulum neglegenter delineatum mus. Neap. 2293 (Heydemann). Iahn, Teleph. u. Troil. u. kein Ende, p. 4 sq., tab. I; cf. Welcker, Alte Denkm. III, 529 sq.

Telephus vestitus chlamyde fluitante et pileo Mysio in ara

cousedit sinistro pede in eius marginem sublato, brachio sin. Orestem infantem veste amictum amplectitur et gladio, quod dextera tenet, ei mortem comminatur. Telephi dext. femur vinctura circumplicatur, ex qua sanguis emanans aram conspergit. Ante hos quiete stat Agamemnon, diademate regio ornatus, clipeum et hastam tenens. Lauris parvis iuxta aram delineatis sub divo rem agi indicatur.

Haec imago cum A consentit et in eo, quod soli Telephus et Agamemnon repraesentautur, non Clytaemnestra, quam in Euripidis dramate partes egisse supra ostendimus, quamque in imaginibus, quas infra afferam, repraesentatam videmus, et in eo, quod Agamemnon non invehitur iu hominem peregrinum. Sed ea re diversa est B ab A, quod in B vitae infantis minari gladio destricto Telephum apertum est. Nonne maxime mirum patrem nullo modo commoveri vitae filii periculo? Nam tales affectus ab eiusmodi vasorum pictoribus dilucide significari permultis ostenditur exemplis. Atque hac in re mihi videtur inesse magna dificultas, quam tolli censeo, si cum Welckero (l. l.) conicimus ex maiore imagine, in qua plures figurae pictae erant, duas a pictore haud erudito, ut spatium expleretur satis parvum, exhibitas esse, hominem, quem Agamemnonem appellemus oportet in B, fuisse in maiore imagine unum de ducibus Graecorum (cf. Brunn, Urne Etrusche XXXII, 14; infra V). Itaque hunc Telephum infanti mortem minantem non ad Aeschylum sed ad Euripidem spectare mihi persuasum est eoque probatur, quod pileum Mysium in capite habet, cum in A tamquam ἱκέτης ornetur (Iahn l. l. p. 6).

C. Tischbein, Vases d' Hamilton II, 6; Inghirami, Vas. fitt. IV, 368. cf. Iahu, Teleph. u. Troil. p. 44 sq.; Overb. p. 299; Vogel l. l. p. 89 sq.

In lata basi sphiugibus aliisque figuris ornata Telephus, paene nudus, utroque genu nixus sinistra manu Orestem tenet infantem ad feminam se convertentem, quae utraque manu puerum amplecti atque Telepho eripere studet. Hic enim dext. gladium tenet, oculos convertit in Agamemnonem, qui subiratus recedit a femina ne progrederetur utraque manu impeditus. Haec est Clytaemnestra, quae de vita filii cum timeat uxorem iratum reprimit. Altera femina nutrix videtur esse, cuius e manibus fortasse Telephus infantem eripuerit.

D. Vas Cumanum ueglegenter delineatum mus. Neap. Racc. Cum. 141 (Heydemanu). Fiorelli, Vasi cumani 14; Bullett. Nap. N. S. V, 10. 18; Arch. Z. 1857 tab. 106. cf. Iahn, Arch. Z. 1857 p. 90; Vogel l. l. p. 89.

Telephus, cuius femur sinistrum vinctura circumdatum est, in aram humilem confugit (cf. B), sin. m. porrecta tenet Orestem pede comprensum eumque gladio destricto necare vult, oculos convertit in Agamemnonem, qui infesto spiculo Telephum petit, sed a Clytaemuestra reprimitur. Altera ex parte femina accedit utraque manu caput plangeus infantis periculo perterrita. Hic gestus magis convenit sorori, quam ea femiua repraesentari Fiorelli[7]), Iahnius, Heydemanuus (Catal. p. 852) censent, quam nutrici, quam Vogelius cognoscit. Super capita Agamemnonis et Clytaemnestrae feminam videmus, quae stuporem vel terrorem mauibus sublatis exprimit. Hanc esse sororem Iahuius, nutricem Fiorelli et Minervini iudicant.

C et D maxime inter se conveniuut, sed in eo differunt inter se, qnod in C Agamemnon iam recedit a Clytaemnestra commotus, in D autem snmmi periculi momeutum depiugitur. Haud dubium est, quin recte ab hominibns doctis ntrumque vas ad fabnlam Enripideam relatum sit.

E. Anaglyphum Pergamenum valde mutilatum. Iahrb. d. preuss. Kunsts. I. p. 183. Overb., Gesch. d. Plast. p. 254 sq., fig. 133, 6.

Telephus, cuius in femore sin. vinctura cernitur, in ara sedet, sin. brachio Orestem ad latus suum premit et dext. mann vitae eius minatur (gladius non servatus est); in gradibus arae mulier genibus nititur perterrita oculos in Orestem convertens. Famula videtur esse, cui iufantem Telephus eripuit. Super eam figurae reliquias videmus, viri alicuins, qui magno baculo nititur. Agamemnonem esse Conzius snspicatur. Sed qnietins adstat, quam nt Orestis patrem coguoscamus, quem invehi iu Telephnm exspectemus. Graecorum aliquem ducum esse verisimile est. Agamemnonem antem altera ex parte accedere, eo probatur, quod in dexterum latus Telephi caput couversum esse osteuditur.

---

[7]) notizia di vasi dipinti rinvenuti a Cuma Neap. 1857, p. 22.

E. Poculum argenteum, in taurini capitis formam caelatum, quod inventum in chersonneso Taurica servatur in mus. Petropol. (Eremitage.) Antiquités du Bosphore Cimmérien pl. 36. p. 239. Arch. Z. 1857 tab. 107. p. 91 (Iahn.) Friederichs-Wolters, Bausteine n. 1343.

Iuxta monumentum parvum, quo sacellum significari apertum est, Telephus dextero genu nixus Orestem, quem sin. brachio tenet, gladio destricto necare vult. Ad quem citato gradu accedit femina perterrita manus tollens. Altera ex parte Agamemnonem videmus, qui ne irruat in Telephum gladio impeditur a duabus feminis, quae regem amplectuntur eiusque brachia tenent. Ex his alteram esse Clytaemnestram, alteram filiam eius verisimile est. Nam vix famula ita dominum amplecti ausa sit. Tertia femina utrum soror sit Telephi an nutrix haud diiudicatur.

Cum eo quod motus admodum duri sunt in hac effigie, corporum mensurae non prorsus aptae, non prohibeamur posteriori aetati hoc artificium tribuere confectum in terra semibarbara; statuamus licet eam fabulae formam artificem secutum esse, quae post Euripidis drama egregium vulgata erat.

G. Gemma, quam edidit Urlichs, Iahrb. d. Ver. v. Altertumsfreunden im Rheinlande, Bonn 1845, tab. III, 1 p. 92 sq.; Overbeck tab. XIII, 5 p. 300; Iahn, Arch. Aufs. p. 171.

Telephus nudus, robusto corpore ad Herculis similitudinem fictus in ara sedet, gladio Orestem se necaturum minatur. Femoris vulnus et vinctura desiderantur.[8])

Quae attuli opera ad Telephum Euripideam redire puto.

H. Anaglyphum fictile rotundum mus. Neap. 368 n. (Heydemann p. 723); id. VII progr. Hal. tab. III, 4 p. 12.

Arae genu dextero innititur histrio comicus, ornatus persona barbata, bracis, magno phallo, dextera manu tenet gladium, cuius vagina succinctus est, sinistro brachio amplectitur rem ad tympani vel clipei similitudinem conformatam.

---

[8]) De Telephi habitu confer quae dicit Iahnius l. l.: Auch hier tritt das Heroische in der Gestalt des Telephos hervor und man sieht wiederum, wie die bildende Kunst in ihrer freieren Entwicklung, wie es ihrem Wesen gemäss war, die euripideische Umbildung verschmähte.

Heydemannus, vir doctissimus, cum hoc signum simulacris ad Paridem, Orestem, Neoptolemum pertinentibns simile esse moneat, qninam repraesentatus sit, dubium esse profitetur. Sed haud scio an Telephum a poëta comico parodia expressum cognoscere liceat. Neque mirum in Magnae Graeciae (l. l. p. 26) opere hoc fictum esse, quod Rhintonem Tarentinnm Telephi fabnlam composnisse supra vidimus (p. 65)..

II. Signa Etrusca.

Postqnam primus Iahnius (Tel. n. Troil.) hanc fabulae partem in urnae Etruscae anaglypho repraesentari ostendit, hand pauca huius generis simulacra ad Telephum relata sunt. cf. Brnnn, i rilievi delle urne Etrusche tab. XXVI–XXXIV. LXXIII, 3 p. 29 sq.; Iahn, Arch. Anfs. p. 174 sq.; Schlie, die Darstellungen des troischen Sagenkreises auf etruskischen Aschenkisten, cap. III p. 39 sq.

I. Anaglyphum magni sarcophagi Tarquiniis inventi, Brunn 73, 3; Mus. Gregor. I 93, 3 (II 100 edit. pr.).

Telephus nudus, barbatus in ara nititur genu sinistro, Orestem sin. brachio tenet, dexteram ad pectns tendit, caput ad Agamemnonem convertit.[8b] Qui nudus, imberbis, gradu citato, infesto spicnlo in Telephum invehitur. — Etsi vinctnra desideratur Telephi maximeqne offendit nos, quod Agamemnon imberbis est, tamen hanc fabulam repraesentari ex eo concludi potest, quod ex celeberrimis fabulis cycli Troiani et Thebani desumpta sunt, qnae in reliquis sarcophagi lateribus videmus. Neque specnli Etrusci ab Heydemanno editi (Mon. dell' Inst. IX, 7; Annali 1869 p. 166 sq.) inscriptionibus ab hac sententia deducor.[8c] Etenim ita hnins speculi effigies cum omnibus, quaecunque de Telepho et a poëtis et ab artificibns Graecornm ficta sunt, consentit, ut artificem, cni aliam fabnlam fingere in animo erat, usum esse typo ex Telephi fabulae signis petito conicere

[8b]) Gladins haud cernitnr, sed si non colore in hoc anaglypho significatum, at certe in exemplo eius expressum fuisse efficitur ex figurae motibns.

[8c]) Homini qnem Telephum esse exspectamns Lycurgi nomen adscriptum est, pro Agamemnone Tasei nomen, pro Oreste 'Philonicns, Tasei filins' legitur.

liceat, ni forte satius est putare hominem Etruscum parum gnarum fabnlarnm Graecarum Lycurgi illius, filii interfectoris (Apollod. III, 5, 1. 4) et Telephi gesta commiscuisse. Sed ita Tasei eiusque filii nomina explicatione carent.

Deinceps affero quattuor anaglypha Perusina:

K. Brunn 26, 1. Telephus barbatus[9]), chlamyde indutus, cuius femur sin. vinctura circumdatum est[10]), Orestem in ara tenet, gladio eius vitae minatur. Sin. ex latere Clytaemnestra perterrita accedit, dext. Agamemnon gladium destringere videtur.

L. Brunn 26, 2. Tel., Orest., Clyt. fere item ficti sunt atque in K. Agamemnonis loco Furiam videmus facem tenentem, post Clytaemnestram hominem armatum gladio destricto.

M. Brunn 27, 3. Tel., Orest., Clyt. = K. L. Ex utraque parte homo armatus gladio in Telephum invehitur; 'rappresentano in genere gli inimici di Telefo, ma non possono rifferirsi a personaggi distinti del mito' (Brunn).

N. Brnnn 27, 4. Tel., Orest. = K. L. M. Sin. ex latere stat Furia facem tenens. Dext. quiete stat Clytaemnestra, cuius brachiornm motus cnm M consentiunt[10b]), et duae figurae, qnas Brunnius collatis aliis signis (exempli gr. V, 10. 11; IX, 20) in eiusmodi anaglyphis saepius pro diversis personis usurpatas esse ostendit. Quam ob rem non utramque feminam esse (Schlie p. 50) sed alteram Agamemnonem, quem filia amplectitur (cf. F), verisimile est. Quam filiam Electram appellaverim non Iphigeniam, quoniam quae Schliens Vaterum secutus de fabula Euripidea exposuit (pp. 49. 58) a me non probari supra exposni (p. 47).

Deinde tredecim anaglypha Volaterrana huc spectant, maximam partem Volaterrae servata. Ex quibus duo imprimis genera discernuntur.

---

[9]) Barbatnm Telephum habet M et fortasse N, imberbem L omniaque anaglypha Volterrana, in qnibus capnt servatum est.

[10]) Item K T W Y X; dextero in femore vinctura est in Q Z; non repraesentatnr vinctura (colore fortasse significata) in. L M N O P R S U a.

[10b]) Nimis argute de hnius fignrae habitu Schlieus iudicare mihi videtur (p. 50).

1. O—S.

O. Brunn 28, 5. Dext. in latus Telephus progreditur, Orestem puerum sinistra preheudit, dextera ei minatur, ara non repraesentata est. Sin. ex parte Agamemnon vestitu regio ornatus (cf. Brunn p. 33) gladio destricto in peregrinum invehitur, inter eos procedunt brachiis extensis Clytaemnestra et homo formae iuvenilis, regem impediunt ne porro progrediatur neve filii vitam mortis discrimini det.

P. Brunn 28, 6. Raoul-Rochette, Mon. inéd. 67, 1. Cum O fere in omnibus rebus consentit.

Q. Brunn 29, 7. Iahn, Arch. Aufs. tab. III. Ab O et P in eo diversum est, quod ara ficta est, in qua Telephus Orestem tenet.

R. Brunn 29, 9. Clytaemnestra non brachiis extensis procedit, sed quiete stat manibus implicatis; aliis in rebus R cum O et P consentit.

S. Brunn 30, 10. Quinque figuris auaglyphorum antecedentium additns est post Agamemnonem homo, qni eius humerum comprehendit enmque retinere studet. Anaglyphum valde mutilatum est.

Iuvenem, qui Agamemuonem retinere summo studio conatur, nominari posse cum Iahnius neget propter fontinm inopiam (l. l. p. 177), Schlieus (p. 51) et Bruunius (p. 34) Achillem esse illum contendunt. Et quamquam haud probo quae de Telephi Euripideae fragmentis Schlieus exposuit l. l., tamen cogitari potest, aliqua fabula traditum fuisse Achillem pro Telepho dixisse, et firmatur eo, quod in Iphigeniae fabula Achilles et Clytaemnestra arte coniunguntnr.

2. T—X.

T. Brunn 29, 8. Auaglyphum mntilatum. Dext. ex latere Telephus in ara nititur, Orestem sinistra tenet, dextera necaturus videtur, Agamemnon scnto ornatus accurrit, a Clytaemnestra reprimitur. Item regem retinere studet homo barbatus, pileo et chlamyde indutus, qui eius brachium comprehendit. Ulixem eum esse apertum est. Post eum stat homo armatus, hasta nixus Menelaum esse Iahnius (p. 175) et Overbeckius censent, Schlieus et Brunnius nomen ei dare dubitant. Certum est eum non participem esse actionis.

U. Brunn 31, 12. Telephus in ara Orestem tenet ad adulescentuli fere magnitudinem fictum. Agam., Ulix., homo armatus = T. Clytaemnestra autem genu amplectitur Agamemnonis, atque inter hunc et Telephum videmus hominem aeqne atque ipsum regem armatum vestitumque, qui hunc impedire studet, ne in Telephum irruat. Hunc Menelaum esse Schlieus (p. 54), Achillem Brunnius (p. 36) suspicatur. Atque cum in priore anaglyphorum parte Achillem cognoverimus, vix possumus negare Pelidam hoc quoque loco repraesentatum esse. Vestitus haud aptus heroi iuvenili ex eo explicatur, quod parum guarus fuit personarum singularum artifex barbarus.

V. Brunn 32, 14. Ab T diversum est eo quod inter Clytaemnestram et Telephum addita est Furia alata.

W. Brunn 33, 15. Cum T et V maxime consentit. Clytaemnestra ad Agamemnonis genua se proiecit. Furia alata facem tenens inter Agamemnonem et Telephum stat. Orestes pueris speciem praebet.

X. Brunn 33, 16. Cum W consentit.

Huc accedunt duo anaglypha, quae neutri earum partium, in quas Volaterrana anaglypha divisimus, inseri liceat.

Y. Brunn 31, 11. Raoul-Rochette, Mon. inéd. 67, 2. Iahn, Teleph. u. Troil. tab. I p. 3 sq. Overbeck, Gall. her. Bildw. 13, 11.

Ante aedes columnis exornatas Telephus in ara sedet cum Oreste, cuius vitae gladio minatur, Agamemnon bullatus, sceptrum dextera tenens, perterritus ad illum oculos convertit atque recedit a Clytaemnestra repressus. Post eum duo armati gladiis destrictis accedunt, quos Iahnius (p. 8) Achillem et Menelaum esse iudicat. Sed probabilius est cum Brunnio his non dare nomina, Graecorum duces Telephi inimicos eis repraesentatos esse putare (p. 37).

Z. Brunn 32, 13. Telephus iuxta aram stat, in qua Orestem tenet. Clytaemnestra et Agamemnon occurrunt duobus iuvenibus armatis, quorum alter scuto armatus ab Agamemnone reprimitur. Hunc esse Achillem mihi videtur certum esse, alterum Menelaum Iahnius appellat. Clytaemnestra ad Telephum respicit et dextera manu Achillem demonstrat. Humi corporis humani pars superior cernitur.[10b])

[10b]) 'Non essendo proceduto un combattimento, non possiamo

His anaglyphis non dubito quin quod antea Overbeckius ad Menoecei Creontis filii mortem rettulit (l. l. p. 134) anaglyphum Volaterranum recte addiderit Brunnius (p. 38), etsi ab Telephi facto diversum est in una re eaque gravissima;

a. Brunn 34, 17. Overb., Gall. tab. VI, 2. Virum barbatum, armatum ne progrediatur impediunt mulier scuto manu compresso et homo formae iuvenilis, qui illius dexteram retinet. Furia alata post eos cernitur. Simillimae sunt hae figurae Agamemnoni, Clytaemnestrae, Ulixi in T aliisque anaglyphis. Sed homo, qui in ara genu nititur (eodem modo ac Telephus aliorum signorum), compreuso utraque manu gladio sese transfigit. Tamen cum maiores quam ut probari possit difficultates praebeat Overbeckii interpretatio, anaglyphum autem ita conveniat et in toto figurarum ordine et in singulis earum motibus cum reliquis ad Telephum pertinentibus, ad Telephum id referri oportet. Videmus igitur artificem Etruscum exemplum sibi propositum simile anaglyphis T et V imitatum esse ipsum ignarum fabulae Graecae, atque ita rem depravavisse, ut id quod proprium sit fabulae plane deleverit.

Quoniam quos dixi homines doctos imprimis Brunnium secutus, enumeravi et descripsi anaglypha Etrusca, quomodo varietates haud exiguae eorum explicandae sint, paucis exponere conabor. Neque vero me effugit ex his solis anaglyphis hanc quaestionem non diiudicari. Nam vix dubium, quin ut recte discernentur, quae ex fabulis a Graecis traditis aut a tragoediis Romanis petita sunt, ab eis, quae ipsi de suo addiderunt artifices, eius rei imprimis rationem haberi oporteat, singulos typos ab alio artifice in alias effigies translatos esse. Ut commemorem quae ad Telephum spectant, Priami habitus ad Agamemnonem transfertur, figurae patris et filiae tab. 37, 4 cum 5, 11 aliisque conveniunt. Atque quin hominis occisi corpus in Z ex alio anaglypho prave irrepserit vix dubium mihi videtur esse. Quam ob rem certo de rebus singulis nisi ab eo iudicari posse nego,

pensare ad un guerriero caduto; e se il modo della rappresentanza potrebbe ricordarci una figura Carontica che esce dal suolo, non saprei quale relazione essa potrebbe avere colla scena in discorso.' (Brunn p. 38).

qui totam eiusmodi anaglyphorum congeriem perlustraverit. Quod mihi non usu venisse confiteor. Tum vix dubium, quin artificibus Etruscis persaepe defuerit fabularum Graecarum notitia. Quod in anaglyphis W, ubi adulescentis magnitudinem habet Orestes, et *a*, ubi Orestes desideratur, manifestum est. Quae cum ita sint, maxime cavendum esse puto, ne nimis fisi Etruscorum cura atque diligentia ex his anaglyphis plura concludamus, quam certis rationis regulis comprobetur. Sed hoc unum mihi videtur certum esse totam anaglyphorum seriem ad eam fabulae formam spectare, quae dramate illo Euripideo praeclaro atque notissimo apud Graecos pervulgata erat. Nam Schlieus (p. 56), qui hoc infitiatur, cum singulis rebus, de quibus certo haud posse diiudicari ostendere conatus sum, nimium momentum tribuat, parum in id, quod summum est, animum intendisse videtur. Nam in eo fere omnia anaglypha conveniunt, quod Telephus Orestis vitam mortis periculo dat, pater infestus invehitur in peregrinum, mater filii vitam defendere studet. Atque hac quidem re cum Graecis quae attuli simulacris Etrusca consentiunt. Sed hac re excludi nego ad alias praeter Euripideam tragoedias spectare anaglyphorum partem. Ut recte monuisse puto Schlieum, O et S ad tragoediam aliquam pertinere, ubi Achilles cum Telepho Agamemnoni obstiterit. Neque vero id mihi dubium videtur, quin ab Euripidea fabulae conformatione pendeant tragoediae, ad quae unum alterumve anaglyphum recte referatur.

VIII. Telephus ab Achille sanatur.

Overbeck, her. Gall. p. 304 sq.

A. Telephi sanationem pictam esse a Parrhasio ex loco Pliniano conclusit Iahnius (Teleph. u. Troil. p. 9). Legimus enim in historia naturali (35, 10. 71) de Parrhasio 'laudantur et Aeneas Castorque ac Pollux in eadem tabula, item Telephus, Achilles, Agamemnon, Ulixes'. Atque si quattuor illos heroes coniunctos videmus, nihil verisimilius est, quam Telephum sanatum esse ab Achille hastae rubigine, Agamemnonem et Ulixem rem contemplari. Quod in signis celebribus repraesentatum fuisse ex aliis locis Plinianis discimus (cf. H. N. 34, 15. 152; 25, 5. 42). Quod

si quaerimns, nnm ab opere poëtae alicnins pendeat Parrhasii pictura, magna cnm probabilitate Telephum Enripidenm pictnm esse contenditur (cf. Brunn, Gesch. d. griech. Künstler II p. 99. p. 112; Robert, Bild nnd Lied p. 35). Praeter Telephnm etiam Agamemnonem, Achillem, Ulixem personas egisse apnd Euripidem snpra ostendimns.

B. Speculnm Etrnscum ex Gerhardi collectione in mns. Berol. receptum. Gerhard, Heilnng des Teleph. tab. I; Etrusc. Spieg. tab. 229; III, 1 p. 215; Overbeck XIV, 1.[11])

Telephns (Tele), barbatus, fere nudns, sinistro lacerto (item atqne Achilles) bnllis ornatus sedet ante Achillem (Achle), qui tunica vestitus sneeincta hastae robiginem cultro abradit immittitque in vulnus, quod in Telephi femore dextero videmns. Post Achillem Agamemnon stat (Achmemrun), qui sceptro (sin.) nititnr, dexteram porrigit Telephi vnlnus demonstrans, Achilli aliqnid dicere videtnr; haud scio an summa cnra sanare Telephnm, ne nimio dolore afficiatur, Pelidam iubeat. Achillis clipens inter Achillem et Pelidam de clavo parieti affixo suspensus est.

Haec effigies summa arte delineata et in aes incisa nnm a Parrhasii pictnra pendeat, cum ignoremus (Brunn l. l. p. 99) tamen hoc certum est, ad Graecae artis exemplum eximium eam spectare.

C. Anaglyphnm nrnae Etrnscae mus. Florent. (96). Iahn, Arch. Ztg. 1849 tab. VIII p. 81 sq. Brunn l. l. tab. 34, 18 p. 39. Schlie p. 46, cuins pars superior deleta est.

Telephns in sella sedet, Achillis hastam dextera ad femnr vulneratum dirigit, sinistra dolore cruciatus sellae marginem amplectitur. Hastam ei porrigit Achilles armatus, inter heroas stat Furia alata, quae dexteram in Achillis scnto ponit. Post Achillem Clytaemnestram videmus quiete stantem, et paedagognm, vestimento usitato significatum, dextera puerulnm Orestem abducentem. In dextera parte post Telephum Agamemnon stat, bacnlnm sinistra tenens. Praeterea videmns hominis armati caput et clipenm post Telephum.

D. Gemmam mns. Berol. (collect. Stosch.) ad Telephi sana-

[11]) cf. Overbeck l. l. p. 308 no. 5.

tionem rettulit Winckelmannus (Mon. ined. 122). Cf. Overbeck l. l. p. 305, 2 tab. XII, 13).

Sed primum figurae et sanati et sanantis hominesque aspicientes nudi sunt, hastis tantum armati, ut careamus signis, quibus interpretatio adiuvetur; deinde discerni non potest, utrum vinctura circumdetur femur vulnerati an hastae robigo in vulnus immittatur. Quam ob rem non satis certo gemma ad hanc fabulam refertur (cf. Toelken IV, 225, Eurypylus a Patroclo sanatus; Il. Λ, 842 sq.).

Addenda et corrigenda.

Libelli huius parte maiore typis expressa mihi in manus venit Hesselmeyer, die Ursprünge der Stadt Pergamos in Kleinasien, Tübingen 1885, ubi inde a p. 21 Telephi fabula tractatur. Sed cum id imprimis agat auctor, ut originem fabulae explicet, maior pars explicationis non in rem meam cadit. Hac in re non assentior Hesselmeyero, quod priore Apollodori loco (II 7, 4) tradi iudicat fabulae formam, ex qua Auge sola in Mysiam deportata Telephus ne adultus quidem eodem veniat. Telephi enim iter silentio praeterire Apollodorum eo explicatur, quod, cum de Herculis gestis verba faceret, scriptoris non intererat quae filio accidissent accurate explicare (cf. supra p. 69). Praeterea etiam in p. 34 non recte Hesselmeyerus de Apollodoro videtur mihi iudicare.

Sententiam autem eius secutus ad ea quae de Strabone dixi (p. 71). addo 572 D scriptorem referre Telephum cum matre in Mysiam profectum Teuthranti eam in matrimonium dedisse. Sed — id quod monet Hesselmeyerus in adnotatione (p. 23) — fabulam rationi accomodatam habemus, atque apparet eandem fabulae formam latere, quae in reliquis locis legimus Strabonianis.

p. 67 s. 14 pro 3585 lege 3538.

p. 83 post s. 20 inserendum est Pausaniae Pergami Auges simulacrum aëneum demonstratum esse (VIII, 4. 6).

VITA.

Ludovicus Carolus Pilling natus sum in oppidulo ducatus Saxoniae Altenburgensis, cui nomen est Goessnitz, Non. Octobr. a. h. s. LXIII patre Theodoro, matre Agnese e gente Lange, quos nonnullos abhinc annos mors praematura mihi eripuit. Fidei addictus sum evangelicae. Domi primis litterarum elementis imbutus gymnasium frequentavi Altenburgense, quod Ernesto Alberto Richter rectore tum floruit. Maturitatis testimonium adeptus mense Martio a. h. s. LXXXII universitatem adii Jenensem, ut studiis et philologicis et historicis incumberem, ibique scholis interfui per ter sex menses vir. ill. Delbrueck, Eucken, Gaedtechens, Gelzer, Goetz, Schaefer, A. Schmidt, M. Schmidt, Sievers, Wilhelm. Postquam deinde me docuerunt per bis sex menses Berolini vir. ill. Curtius, H. Droysen, A. Kirchhoff, Paulsen, Robert, Scherer, Treitschke, Vahlen, Wattenbach, Zeller, Halas me contuli, ubi scholas frequentavi vir. ill. Dittenberger, Droysen, Duemmler, Haym, Hertzberg, Heydemann, Hiller, Keil, Kirchhoff, Vaihinger. Seminarii philologici Halensis per bis sex menses sodalis fui ordinarius, cum ante proseminario philologico et Jenensi et Halensi interfuissem. Exercitationibus ut interessem archaeologicis Robert et Heydemann, historicis Duemmler benigne permiserunt. Quibus omnibus praeceptoribus, optime de me meritis, imprimis Heydemanno et Hillero, gratias ago semperque habebo.

THESES.

I.

Eurip. Electr. vv. 373—379 non Augae fabulae tribuendi sunt (cf. Wilamowitz anal. Eurip. p. 190 sq.).

II.

Aristot. Eth. Nicom. VI, 11. 1142^b, 34. Spengelius recte coniecit εὐσυνεσία et εὐσυνέτους pro ἀσυνεσία et ἀσυνέτους·

III.

Roehl inscript. Graec. antiquiss. n. 466 lego:
Κώ[θι]ος ὁ Κριτο[β]ού[λ]ου ἀπ'(ὸ) Ε[ὐμ]νάστας [ἀ]νέ[θ]η-[κε]ν. (νεα[ρ]ηβῶν Roehl.)

IV.

In carmine Catulliano 64 post v. 361 lacuna est.

V.

Quint. instit. orat. lib. X initium recte traditum est: 'sed haec eloquendi praecepta sicut cogitationi sunt necessaria' (cf. Bonnell edit. lib. X p. 85).

VI.

Vas Monacense 810 (Arch. Ztg. 1847 tab. III) ad tragoediam spectat post Euripidis Medeam confectam.

VII.

In vase collectionis Jatta 1088 (Arch. Z. 1856 tab. LXXXVIII) repraesentati sunt Hercules et Cycnus ante certamen illud celeberrimum.